MISSALE GLAGOLITICUM
HERVOIAE
DUCIS SPALATENSIS

RECENSUERUNT

V. JAGIĆ, L. THALLÓCZY, F. WICKHOFF.

AUCTORITATE ET IMPENSIS

REGIMINIS PUBLICI BOSNIAE ET HERCEGOVINAE.

QUADRAGINTA UNA PICTURIS ORNATUM.

VINDOBONAE
MDCCCXCI.

MISSALE GLAGOLITICUM

HERVOIAE

DUCIS SPALATENSIS

RECENSUERUNT

V. JAGIĆ, L. THALLÓCZY, F. WICKHOFF.

AUCTORITATE ET IMPENSIS

REGIMINIS PUBLICI BOSNIAE ET HERCEGOVINAE.

QUADRAGINTA UNA PICTURIS ORNATUM.

VINDOBONAE

MDCCCXCI.

Num. 2.

PRAEFATIO.




Fig. 1.

Operis huius publicationem debemus illi studiorum impetui, quo eruditi gentis Hungarorum historiam cultus humani civilisque eius praesertim aevi, quo inclytissimus rex Mathias Corvinus (1458—1490) tantus litterarum artiumque fautor eminuit, investigare et illustrare elaborant. Huius enim insignis memoriae principis augusta persona inter primos sic dictae regenerationis litterarum et artium auctores ac promotores elucet, qui nimirum aetate media exeunte huiusmodi conatibus ac liberalitate gloriam nacti sunt.

Neque minus huic operi edendo adiumento fuit singularis illa liberalitas Augusti Turcorum Imperatoris Abdul Hamid II., benevolentissimi artium bonarum fautoris.

Quantae autem curae regi Mathiae litterarum incrementum fuerit, quam vehementer ipse iis studuerit, plurimum non solum Hungaricae, sed universalis etiam historiae interest, praesertim cum hoc regis studio potentissimus ille animorum ardor usque ad Hungariam progressus sit hacque in terra extremum finem orientem versus nactus sit.

Rex ille praeclarus amabat doctrinas artesque liberales, earumque notitiam divulgandam curabat, doctos et artifices viros in aulam regiam recipiebat, domos magnificas aedificabat bibliothecamque condidit Corvinam, cuius gloria stabilitatem earum rerum, quas in re publica bene gesserat, longe superavit. Magna est copia clarorum librorum, qui a plurimis investigatoribus sagacissimis conscripti sunt

de fatis illius codicum thesauri, cuius partes disiectae et in singulis fere Europae bibliothecis adservatae hodie quoque admirationem virorum eruditorum excitant.

Cum vero quaestiones de Corvina bibliotheca institutae cum codice, qui hic pertractatur, arctissime cohaereant, quaedam de fatis bibliothecae illius nobis praemittenda esse videntur.

Post mortem magni conditoris, qui VIII. Id. Aprilis anno 1490 vita decessit, bibliotheca in arce urbis Budae permansit. Et quamquam barones regni eam ad regni decus exstructam esse intellexerunt et quasi bibliothecam regni publicam agnoverunt (G. Pray, Epistolae Procerum, I, pag. 378) tamen usque ad annum 1526 multifariam expilabatur, post pugnam autem ad Mohács plane concidit.

Turcorum imperatores, Suleyman el Kanuni, magnus ille expugnator legumque lator, nec minus surena eius, Ibrahim, natione Graecus, litterarum artiumque pretium plurimi aestimasse videntur, cum et anno 1526 et etiam urbe Hungariae regia expugnata pacataque simulacra Herculis, Apollinis, Dianae ex orichalco a praeclaro artifice Iacobo Statileo de Trau ibidem confecta (cf. Kukuljević Ivan, Slovnik umjetnikoh jugoslavenskih — Dictionarium artificum slavicorum meridionalium, Zagrabiae 1854, pag. 426—430; N. Istvánffy, Historiarum de rebus Hungaricis, 1758, lib. VIII, pag. 83), nec non ingentem librorum Corvinae copiam Constantinopolim transferrent. Opera iam et ad Bosporum transmissa et quae etiam Budae remanserant a Turcis non solum conservata, sed ut adnotatio codicis Posoniensis Cirylli Alexandrini testatur, etiam purgata sunt. Ibi enim haec legimus: „Libellum hunc quidam captivus Hungarus, liberatus a Turcica captivitate de Buda, dum ibidem bibliothecam regiam purgare debuisset, clam abstulit", id quod peritissimo investigatori Corvinae, Ioanni Csontosi, debemus.

Saeculo decimo septimo comes Althan, praefectus arcis Comaromiensis, Gabriel Bethlen, summus illius Transsilvaniae princeps, clarissimus cardinalis et archiepiscopus Strigoniensis, Petrus Pázmány, annoque 1631 Georgius Rákóczy I. Transsilvaniae princeps, quidquid librorum

Corvinianorum Budae restabat, redimere conati sunt. (Cf. in Ephemeridibus Hungaricis — Archaeologiai Értesitő, Magyar könyvszemle, 1882, pag. 336—340, et Schmitt, Archiep. Strigonienses, II, pag. 114.) Id quidem non contigit, nihilo secius e codicibus Constantinopolim missis prout et Budae relictis saepius exemplaria legatis et viris politicis ab aula Turcica dono data sunt. Cum tandem anno 1686 Buda ex Turcorum potestate liberata esset, in arce Budensi CI libri manuscripti et CCVIII typis exscripti reperti sunt, qui in bibliothecam aulicam Vindobonensem transportabantur.

Nostri demum seculi anno 1845 postquam thesaurarium veteris Sultanorum palatii, quod vocatur Eski Sérai, singulari liberalitate sapientissimi Sultani Abdul Medsid viris doctis apertum est, paulo adcuratior cognitio materiae litterarum monumentalium Constantinopoli coacervatae acquiri potuit. Maxime Hungariae interfuisse, ut codicum thesaurus sollertius pervestigaretur atque cognosceretur, per se patet, compluribus itaque in diaetis impulsus Corvinae restituendae datus est, imprimis autem in Comitiis anno 1843—1844.

Quae manuscriptorum materia in palatio Constantinopolitano adservata etsi iam anno 1846 ad notitiam bibliothecarum Vindobonensis et Berolinensis, nec non Musaei Britannici pervenerat, eius tamen perscrutandae munus annis demum 1849 et 1850 a philologo Borussico Mordtmann susceptum est.

Eruditus hic vir e copia illa philologica tantum ratione considerata in Philologi tom. V, pag. 758—761, sub titulo Slavonicorum codicum manuscriptorum duos adfert, primum quattuor euangelia, deinde legendas sanctorum. Idem anno 1854 indicem multo copiosiorem (Philol. anno 1854, pag. 582–584) publicavit, cui et inscripsit: „Index librorum manuscriptorum in bibliotheca suae Maiestatis Sultani deprehensorum“; ibi autem num. 43 quattuor euangelia et num. 44 sanctorum legendae glagoliticis litteris conscriptae commemorantur.

Num. 44 laudatae sanctorum legendae scriptura glagolitica exaratae, quas ut glagoliticorum operum omnium certe clarissima inter pretiosissima monumenta slavica nume-

randas esse dubitari prorsus non potest, nihil aliud sunt, quam hoc, de quo disserimus, Hervoiae ducis Spalatensis missale.

Anno 1862 eruditae societatis Hungariae sodales, Franciscus Kubinyi et Emericus Henszlmann et Arnoldus Ipolyi Constantinopolim profecti sunt, qui de Corvina quaererent. Illi repertum hoc missale, Hervoiae ducis fuisse cognoverunt primique Hervoiae codicem appellarunt librum hunc, quo sub nomine in indicem a Dre Ernesto Dethier iussu eiusdem societatis compositum relatus est.

Post eruditos gentis Hungarorum Tischendorf membrum a consiliis imperii Russici publicum ad mandatum imperatoris Russorum Constantinopolim profectus Hervoiae ducis missale secum Petropolim abstulisse dicitur, quod num factum sit, dubitari licet.

Inde ab anno 1862 erudita societas Hungarica varios cepit conatus magnae forte peregrinationis atque erant, qui ardore huius propositi inflammarentur, iucunda spes tamen ad irritum collapsa est, quamquam aula Turcica his consiliis benigne favit.

Anno 1869 Sultanus Abdul Aziz II. Augusto imperatori atque regi nostro Francisco Iosepho I. cum ad aperiendam fossam navigabilem ad Suez proficisceretur, quattuor codices Corvinianos dono dedit, quos rex noster apostolicus museo Hungariae publico liberaliter donavit.

Aliis triginta quinque codicibus Corvinianis anno 1877 Sultanus Turcorum legationem universitatis Budapestiniensis muneratus est, qui bibliothecae eiusdem universitatis tribuebantur.

Arminio tandem Vámbéry, clarissimo illi rerum orientalium indagatori et turcologo, remansit, ut ex fonte librorum media aetate manu scriptorum Constantinopolitano omnibus difficultatibus sublatis hauriret. Potissimum enim eius merito factum est, ut Sultanus magnanimus, Abdul Hamid, anno 1889 ineunte eruditam gentis Hungarorum societatem ad perscrutanda litterarum documenta, si illi videretur, Constantinopolim invitaret. Qua invitatione grato animo accepta societatis huius sodales, plenissimam indulgentiam Caesareae regiaeque Maiestatis experti sunt, qui profectionem hanc pecuniae praesidiis quoque adiuvare

dignabatur. Arminio itaque Vámbéry duce doctorum virorum societas constituta est, cui interfuerunt Dr. Guilelmus Fraknói, principis eruditae societatis vicarius, Colomannus Thaly, qui primus missale hoc agnoscebat, Eugenius Abel, Ioannes Csontosi.

Legatis igitur, qui XI. Kal. Octobris anni 1889 Constantinopolim pervenerant comiterque recepti erant, licuit summo otio gravissimas quaestiones agere. Horum studiorum praecipuus eventus positus est in indagatis monumentis Slavorum meridionalium, quae media aetate arctissime cum Hungaricis cohaerebant.

Sunt autem duo summi pretii documenta: Chrysobulla Urosii II. Milutin, regis Serbiae, a regimine publico provinciarum Bosniae atque Hercegovinae iam edita (**Светостефански Хрисовуљ краља Стефана Милутина.** У Бечу 1890) et missale Hervoiae ducis Spalatensis (cf. legationis illius libellum in indice academico „Akademiai Értesitő", 1890, pag. 36—43).

Ambo haec monumenta Budam perlata dicto iam regimini tradita sunt, quod nunc et alterum documentum, laudatum hoc missale, publici iuris facit iudicioque eruditorum permittit.

Editio ipsa praeter exemplum continet dissertationem de missali hoc tribus ex rationibus institutam. Si enim rei liturgicae, grammaticae, nec non palaeographicae respectum ducas, imprimis hoc missale litteris Slavorum meridionalium exaratum prae caeteris summi est momenti; cum sit deinde liber manu scriptus Hervoiae Hrvatinić, viro e paucis, qui rem publicam Bosniacam obtinebant, praestantissimo dicatus, inter paucas mediae aetatis reliquias Bosniacae originis referendus est, qui omnino merito indagatur plurimique aestimatur, quoniam historiam humani civilisque cultus provinciae Bosniae complectitur; cum demum opus sit glagoliticum, cui plurimae et sine exemplo eximiae sunt additae pictae effigies, ad historiam artis pusillarum picturarum illustrandam aptissimum est atque dignum, quod novissimo genere chemico-chromophotographicae rationis per spectatam officinam Vindobonensem, Angerer et Gœschl, ut verum exemplar denua proferatur. In eligendis autem imaginibus et artificis et historici rerum

antiquarum periti rationem sumus secuti.

His igitur tribus rationibus ut inserviret, regimen supra memoratum ad opus ex re grammatica atque palaeographica aestimandum professorem universitatis Vindobonensis et membrum a consiliis aulae Drem Vatroslaum Jagić rogando invitavit, ad historiam heraldicamque illustrandam directorem archivi redituum publicorum ministerii Austriaco-Hungarici sodalemque societatis eruditae Hungaricae Drem Ludovicum Thallóczy; ad artificia demum explicanda professorem universitatis Vindobonensis Drem Franciscum Wickhoff.

Ad historiam pretiosissimi illius operis cognoscendam satis sit dictum.



Fig. 2.

DE

MISSALI GLAGOLITICO HERVOIAE

COMMENTATIO PHILOLOGICA.

CAPUT I.

Fata codicis narrantur.




Fig. 3.

Missalis Romani versionem palaeoslovenico - croaticam, codicem membranaceum characteribus glagoliticis exaratum, cum Constantinopoli in gaza imperatorum Turciae, quae Aula seu Palatium vetus (Eski Sérai) appellatur, summa diligentia servari compereris, lector benevolentissime, quibus fatis liber, cuius patriam in regionibus Hadriae esse autumes, ad Pontum Euxinum reiectus sit, quaeres. Sed historia, quae magistra est vitae rerumque gestarum speculum, facile tibi in memoriam revocabit, opinor, inde a saeculo decimo quarto exeunte, provincias Slavorum meridionalium persaepe incursionibus Turcarum infestatas, multos homines in servitutem abductos, varias magni pretii res undique correptas in thesauros aut aeraria Constantinopolitana praedam asportatas esse. Eiusmodi migrationem etiam nostrum codicem perpessum esse certo certius est, sed quo tempore id factum sit, determinari nequit. Sunt qui codicem ad celeberrimam illam bibliothecam Corvinianam referendum esse atque ex Hungaria, cuius magna pars olim sub potestate Turcarum erat, tum

maxime Constantinopolim delatum esse existiment. Neque miraberis, avidum victoris animum excitatum esse, ut librum secum auferret, cum litterarum elegantia picturaeque apparatu eum praeter solitum modum excellere cognoveris. Huc accedit quod Hervoiae, ducis Spalatensis, cuius in historia Bosniae atque Dalmatiae fama celebris est, imago in fine codicis depicta (v. fig. 18), iam dudum nobilem libri originem ostendebat. Et mihi quidem, rem accuratius perscrutanti, persuasum est Hervoiam ipsum libri conscribendi auctorem fuisse. Cui cum in insigni armorum, quod a latere imaginis proximo folio adiungitur (v. fig. 30), ducis Spalatensis titulus inditus sit, quo eum anno MCDIII honoratum esse constat, inde patet, codicem neque ante hunc annum neque vero post annum MCDXV, quo mors repentina ducem absumpsit, scriptum esse.

Summa libri eiusmodi est, ut in usum missarum, secundum ritum Romanum, qui in ecclesia catholica observatur, sed lingua slavica celebrandarum eum destinatum fuisse nemo non videat. Verum teste historia idem ille Hervoia maximam partem vitae fidem catholicam respuens degebat. Adhuc nostris temporibus Bononiae, in urbe Italiae, liber manuscriptus servatur, quo Patarenae haeresis assecla fuisse coarguitur. Codicem dico Hvali, anno MCDIV litteris cyrillicis scriptum, quem scriba, qui se ipse Bogomilum sive Patarenum praedicabat, Hervoiae sacrum esse voluit, id quod ille quidem non fecisset, nisi ducem in numero fautorum haeresis Patarenae habuisset. Inde equidem concluserim codicem nostrum paulo post annum MCDIV iussu Hervoiae compositum esse. Qui num sub finem vitae haeresin Patarenam abiuraverit, quove anno id fecerit, nequaquam est in aperto. Sed quamdiu doctrinam ritusque haereticos observabat, linguae slavicae in liturgia adhibendae adeo asueverat, ut etiam postea, si re vera in sinum ecclesiae Romanae revertisset, quod num statuendum sit, dubitare licet, vix aliter atque glagolitarum more officia celebrari eum voluisse credendum sit. Hoc rerum statu respecto, nisi fallor, natura codicis satis explicatur.

Iam cui loco aut cui ecclesiae liber dono datus sit, verbis quidem non narratur, sunt tamen in codice ipso nonnulla indicia, ex quibus ecclesiam illam in Dalmatia fuisse colligas. Ad

Dalmatiam commemoratio beati Ioannis, episcopi Traguriensis, cuius nomen in Kalendarium codicis sub decimo quarto Novembris relatum est, spectat. Respicias, quaeso, etiam beati Domnii, qui apostolus Dalmatiae appellatur, officium, in Proprio Sanctorum ad septimum Mai adnotatum, ubi etiam imago eiusdem Sancti depicta est. Ecclesiam denique ipsam, cuius in usum codex scriptus erat, sancto Michaeli archangelo dedicatam fuisse coniectando assequor. In eodem enim folio, ubi Hervoia in equo sedens depictus est, sed pagina priore, etiam sancti Michaelis archangeli imago eaque maior solitis huius codicis picturis cernitur (v. fig. 39), cuius proximis quae ibi leguntur verbis nulla ratio habetur. Neque enim ibidem officium sancti Michaelis neque missa aut quaelibet alia eiusdem Sancti causa affertur: haec omnio iam supra, in folio 184, absoluta sunt, ubi orationes sanctum Michaelem respicientes dantur atque archangelus ipse pictura solitae magnitudinis insignitur. Quin etiam folio 61, ad diem octavum Mai, quo die Apparitio Michaelis commemoratur, altera eiusdem Sancti imago deposita est. Quid haec iterata eiusdem Sancti depictio, eaque tertio loco prope imaginem ducis posita, ubi etiam solitum modum transgreditur, sibi velit, quaeres? Quodsi coniectura rem diiudicare licet, equidem maiore illa in fine codicis posita imagine sancti Michaelis archangeli ecclesiam, in cuius honorem atque usum codex scriptus erat, indicari arbitror.

Ecclesiarum sancto Michaeli archangelo dedicatarum magnus sane numerus in Dalmatia exstat, verum hic non nisi earum ratio habenda videtur esse, quae in oppidis aut castris Hervoiae duci subditis reperiebantur. In quorum numero haud scio an primum locum castrum Almissa obtineat, ubi ecclesia s. Michaelis archangeli adhuc cernitur. Glagolitarum quoque rem litterariam ibidem semper viguisse constat. Castrum illud iam ante annum MCDI in manibus Hervoiae fuisse, documento quodam tomi quarti Monumentorum historicorum, ad Slavos meridionales spectantium, pagina 451 edito demonstratur. Sed sub finem vitae, anno MCDXV, dux ipse, necessitate coactus, castrum suum praesidio reipublicae Venetae commendabat, id quod ex alio eiusdem tomi documento pag. 200

colligi potest. Periculum nempe obsidionis a Hungaris atque Ragusaeis imminebat, ut ex Monumentorum serbicorum, a comite Pozza editorum, tomo primo pag. 129 elucet. Castri, ubi Almissae Hervoiam habitasse putaverim, etiam nunc rudera restant, quae Starigrad nominata super Almissam in praerupto monte sita eminent. Ecclesiam autem sancti Michaelis Almissensem Hervoiae ducis palatinam fuisse fāma popularis incolarum eius loci nunc quoque perhibet, quod ex litteris viri illustrissimi, directoris gymnasii Spalatensis, Fr. Bulić, percepi.

CAPUT II.

Alius scriba, alius pictor codicis.

Iam audivisti, quis codicem scribendum curaverit, quo tempore equidem illum conscriptum cuique ecclesiae dono datum iudicem. Nunc si vis scribae nomen tibi prodam. Qui quamvis in epilogo nullam sui mentionem fecerit — codex enim in fine mancus est — tamen nomen eius saltem bene indagasse mihi videor. Sed mirum utique videtur ultima pagina codicis, quae adhuc vacua manet, ubi continuandi textus facultas erat, scribam uti noluisse, ut si nihil aliud, interrupta prioris folii verba ad finem perduceret. An eum impeditum esse putem? Extrema enim codicis verba in folii 243 columna altera haec leguntur (transcriptionem ubivis adhibeo cyrillicam, utpote lectu faciliorem):

Боже комоу достоино е̄ помиловати и виноу отпоустити, прими молениѣ наша и ке оуза грихов'на стискает', помилование твое м̄лости . . . .

Ad orationem, quae in missa pro peccatis legitur, ista pertinent hisque latinis verbis respondent: „Deus, cuius proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis absolvat.“

Sed verbi „absolvat“ interpretatio slavica in codice desideratur; nam propter tabulam sancti Michaelis,

quam illo loco depictam esse supra commemoravi, finis orationis in paginam posteriorem folii 244 transferri debebat, quod scriba nescio qua de causa facere neglexit. Ita factum est, ut nomen eius plane occultaretur, nisi fortuito orationi in canone missae, qua mentio fit vivorum, insertum esset, quae sic habet:




Fig. 4.

Тоу помени живе ке хощь · и Боут'ка пис'ца: „Hic memento vivorum quorum vis et Butkonis scribae“ (fol. 140a).

Qui igitur codicem scripserat, Butko nominabatur. Nomen est slavicum, hypocorisma formae Budislav aut Budimir (palaeoslovenice exprimas: **Бѫдиславъ, Бѫдимиръ**); rectius Budko sive Боудько scribendum erat. Huius nominis homines in Dalmatia vicinisque provinciis, quae a Croatis et Serbis incoluntur, frequenter occurrunt. Butko quidam anno 1386 logothetus fuit, uti ex chrysobullio serbico apud Miklosicium pag. 204 edito apparet. Aliud documentum glagoliticum, anno 1393 scriptum, comitem corbaviensem quendam, cui Butko nomen erat, commemorat. Videsis acta croatica Kukuljevicii sub numero XII. Nolim tamen affirmare alterum utrum eorum huius codicis scriptorem fuisse.

Quae conditio fuerit hominis, qui codicem exaravit, ignoramus; tamen presbyterum glagolitam, Almissa vel aliquo vicino loco eum ortum sine ulla dubitatione statuere mihi licet; denique totum librum una eademque manu Butkonis conscriptum esse iudico. Sed non idem is, qui ceteras res codicis comparavit et librum conscripsit, litteras quoque quas initiales appellamus, quas variis picturis exornatas dixi, vel imagines Sanctorum aliasque ad textum illustrandum spectantes tabulas, sua manu perfecit atque absolvit. Haec omnia artifici pingendi magis perito commendata erant, qui postquam simplicis scripturae opera perfecta est, tum demum codici coloribus atque picturis exornando operam dederat. Huius rei documento sunt in primis verba tabulae folio 161d depictae in margine adscripta, quibus scriba codicis, noster scilicet Butko, pictorem monitum esse voluit, ut reservato spatio paginae non ad unum sed ad duos Sanctos depingendos uteretur.

Verba rubris litteris exarata haec sunt:

С҃го Доу(и)ма и с҃го Михаила кипе пиши: „Sancti Domnii et sancti Michaelis imagines scribe.“

Neque vero imagines tantum, sed etiam litteras initiales, haudquaquam spernenda arte depictas, eidem artifici tribuo, in cuius manus postea codex venerat. Quam ad sententiam confirmandam haec fere argumenta in auxilium possum vocare. Ac primum quidem observare licet nonnunquam iam a Butkone ipso, scriba codicis, prima litterarum initialium lineamenta atramento adumbrata esse, quorum ambitum subsequens artifex non nisi varios colores variaque ornamenta addere debuit. Lineamentorum eiusmodi permulta vestigia apparent, in his litteris maxime perspicua sunt: ⱖ fol. 8 b. 52 a, ⰰ fol. 26 d, ⰲ fol. 52 b. d, 54 a, ⰰ 55 a. b, ⱖ 60 a. d, ⰲ 61 d, 62 a. c, 63 c, 74 b. c, ⰰ 82 c, ⱖ 89 d, ⰲ 94 a, 96 a, ⰶ 99 c, ⰲ 99 d, in aliis. Est ubi pictor formas a scriba delineatas arte premere noluerit; exempla habes in folio 51 b et 240 b. Idem Butko, ut quibus litteris vacua spatia explenda essent pictori ostenderet, aliquotiens easdem litteras exigua scriptura in margine apposuit, quod folio 102 d, 124 a, 193 a, 198 a, praesertim autem in marginibus foliorum 221—233 frequentissime fecit.

Aliud argumentum, quo scribam codicis et pictorem non uno eodemque tempore labore suo occupatos fuisse iudices, petes inde, quod nonnunquam idque illis potissimum locis, ubi ornamentis opus erat, eandem litteram bis scriptam invenies. Folio 24 b. c verbis вн҃о вр҃ме praecedit magnum ornamento distinctum ⰲ; idem factum est folio 78 b: ⰲ вн҃и, fol. 176 b: ⰲ вн҃о вр. His locis Butko usitatam litteram в scripserat, ornator vero codicis postea eiusdem litterae formam maiorem appinxerat.

Sed nonnunquam pictor ornamentum adhibere oblitus est aut litteram, ad quam scribendam et exornandam spatium a Butkone relictum erat, inserere neglexit. Etiam haec testantur codicem alio tempore scriptum, alio exornatum esse. Ut nonnulla exempla afferam: fol. 31 b vacuum est spatium, ubi ⰰ scribi debebat; fol. 42 c desideratur magnum ⰲ; fol. 44 c litteris нид҃ни praecedere debebat magnum ⰲ, sed litterae locum imago prophetae, qui Isaiae in fol. 17 c depicti persimilis est, occu-



Fig. 5

pavit. Etiam fol. 17 c ad complendum verbum litteris стани magnum Ⰲ praeponi debebat, cuius vice est imago Isaiae prophetae. Eodem modo fol. 138 b deest magnum Ⰲ, fol. 226 d magnum Ⱄ. Etiam minoris scripturae lacunae habentur complures, quibus perpensis diligentia pictoris laudibus efferri nequit.

Denique menda scripturae, quae pictoris culpa facta sunt, quippe qui non suo ubique loco rectam litteram scripserit, suspicionem mihi movent eum legendi glagolitice admodum peritum nequaquam fuisse. Cuius rei exempla habes haec: fol. 9 a litteris гда ad complendum verbum егда magnum Ⰵ praeponi debebat; artifex non Ⰵ, sed Ⰲ pinxit. Idem ille fol. 18 a Ⰲ pro Ⰵ, fol. 38 a Ⰱ pro Ⰲ scripsit. Fol. 40 c pro Ⱄ verbi Се говорить legitur Ⰲ: Ве говорить. Fol. 156 d artifex permutatis litteris Ⱂ et Ⰱ effecit, ut Бетрь pro Петрь legeretur. Fol. 199 d persimiles litterae Ⱄ et Ⰸ confunduntur, pro Ⱄ littera Ⰸ exornata est. Fol. 87 b Ⱄ pro Ⰲ, fol. 129 b ⰾ pro ⰴ reperires, si libri inspiciendi facultas daretur. Haud raro etiam litterae Ⱎ et Ⰶ confunduntur, quarum discrimen formae pictorem fugisse videtur. Exempla habes fol. 31 a, 46 b, 62 b, 120 d, 169 c, 171 d, alia.

Qua arte pictor in exornandis litteris usus sit quemve perfectionis gradum in tabulis depictis teneat, non meum est exponere; id unum premam characteribus glagoliticis aliquotiens litteras initiales latinas intermixtas esse, quod sine dubio folio 140 d in depingendo illo T (v. fig. 32), quo in canone missae verba „Te igitur“ excipiunt, factum esse video. Sed haud scio an etiam glagoliticum Ⰲ, quo verba Вь оно врѣме, quae latinis „In illo tempore“ respondent, incipiunt, persaepe ad exemplar latinae litterae I scriptum sit. Est certe permultis locis ea figura litterae initialis Ⰲ, ut magis latinum quam glagoliticum characterem prae se ferat.

Sed iam de his satis.

CAPUT III.

Codex describitur.



Fig. 6.

In codice nescio quis 246 folia continuis numeris notavit, sed errorem admisit, cum duo folia eodem numero 43 notabat. Itaque non 246, sed 247 folia codicem continere affirmo, quorum duo priora atque ultima duo vacua sunt neque ceteris libri fasciculis adhaerent. Fasciculi vero ex quaternionibus, quorum singuli ex octonis constant foliis, componuntur. Textus autem libri in primo primi fasciculi folio (v. fig. 5) hisce verbis incipit:

† Вь име ис̅хво в̅вки ам̅нь.
Початие мисала по зак̅н-
ѣ римскомь бж̅нога п̅тра и п̅вл-
а ц̅ркве рим'скога двора · пр'в-
а н̅дла от припаства г̅на сто-
еще оу сте м̅рие великое · и се
г̅ н̅дле ако се пригоди ст̅ацъ
от н̅дле боуди вcь чинь а от ст̅'ц-
а спомеyноутие.

„In nomine Iesu Christi, per saecula Amen. Initium Missalis secundum ordinem Romanum beati Petri et Pauli ecclesiae curiae Romanae."

„Dominica prima Adventus Domini, statio ad sanctam Mariam Maiorem. Et si his quattuor dominicis festum occurrit, totum officium de Dominica fiat et commemoratio de Sancto."

Verba haec ad primam Missalis partem, quae Proprium missarum de tempore inscribitur, referri quis non videt? Ex centum quadraginta septem foliis haec prior pars constat, duodeviginti fasciculos plenos, undevicesimum quattuor tantum foliorum explens. Sed decimi sexti fasciculi folium primum avulsum esse lacuna textus ostenditur, ubi ultima prioris fasciculi verba cum illis quae proximo sequuntur folio non concinunt. In quorum foliorum numero sex postrema non ad textum Missalis, sed ad Kalendarium adhibentur.

Altera pars codicis, quae Proprium missarum de Sanctis praebet,

incipit a folio centesimo quadragesimo octavo; vicesimi quaternionis primum numeratur. Initium novi fasciculi, quo altera pars codicis incipit, librum ita compositum esse prodit, ut duabus ex partibus constaret et posterior pars a priore secerni posset.

Haec posterior pars Missalis excipit verbis (fol. 148 a):

Почетие навлащ'них' мись от
ст̅ць · на виђилию с̅го анд'рѣѣ.

„Initium missarum propriarum de Sanctis. In vigilia sancti Andreae."

Quae libri pars per duodecim fasciculos, a vicesimo usque ad trigesimum primum, qui omnes completo octonorum foliorum numero sunt, pertinet. Et quidem priora quadraginta duo folia Proprium de Sanctis exhibent, a folio 148 usque ad folium 190 a; deinde a folio 190 b usque ad folium 211 Commune Sanctorum continuatur, cuius prima verba haec sunt:

Поченю се мисе оп'ще
по законоу с̅те римске ц̅ркв-
е · на виђилию а̅ ап̅ла.

„Incipiunt missae communes secundum ordinem sanctae Romanae ecclesiae. In vigilia unius apostoli."

Ultimo denique loco diversae missae, de quibus mox uberius dicturus sum, dispositae sunt.

Quam argumenti dispositionem si cum codice glagolitico comitis Novakii — Missale est membranaceum, glagoliticis characteribus anno MCCCLXVIII exaratum, in bibliotheca Vindobonensi palatina servatur — conferre lubet, non omnia in utroque codice ad amussim concordare facile apparebit. In Missali enim Novakii post missas, quas proprias de tempore dicimus, quae ibi folio 162 finiunt, neque Kalendarium adnectitur neque statim Proprium de Sanctis sequitur, sed variae missae, quae folia 163 usque ad 183 explent, praecedunt; tum demum a folio 183 b usque ad finem codicis Proprium de Sanctis cum appendice diversorum officiorum continuatur. Ceterum in utroque codice tam Proprium de Sanctis quam Commune Sanctorum diversarumque missarum officia easdem plane res continent, quod iam accuratius explicaturus sum.

CAPUT IV.

Argumentum partis prioris.

Ut singulas libri partes seorsim pertractem, pars prior, Proprium de tempore, nihil fere discrepat a respondente parte Missalium posteriorum saeculorum, nisi quod lectiones tam epistolarum quam evangeliorum haud raro, nominibus permutatis, falsis titulis inscribuntur. In sabbato dominicae quartae Adventus, fol. 8 b, lectio к рмлнмь, ad Romanos, inscribitur, cum sit epistola ad Thessalonienses II, 2. In dominica quarta Adventus codex scribit к римлнмь, ad Romanos, est autem lectio ad Corinthios I, 1. In missa tertia Nativitatis lectio refertur ad Ephesios, к' ефесием', scribi vero debebat ad Hebraeos 1. In festo Cinerum lectio quae Ioelis prophetae est, falso tribuitur Isaiae: чте есаие пророка. In feria sexta post dominicam tertiam Quadragesimae non est lectio Exodi (чтение книгь исхода), sed libri Numerorum c. 20. In dominica quarta Quadragesimae lectio, cui titulus к' коласием' praeponitur, ad Galatas referri debuit. In feria quarta post dominicam Passionis non Deuteronomii (тевeтерономие codex scribit) lectio legitur (fol. 63 c), sed Levitici cap. 19. In sabbato eiusdem dominicae falso notatur lectio libri sapientiae (книгь прѣмоудрости), cum Ieremiae prophetae sit lectio cap. 18. In feria secunda et tertia Paschae quae occurrunt lectiones evangeliorum, non sunt Ioannis (от ивна), sed Lucae (fol. 100, 101). Etiam in festo Ascensionis non evangelio Lucae (от лоуки) sed Marci lectio deprompta est. In sabbato quattuor temporum Pentecostes lectio falso inscribitur apostoli Pauli ad Corinthios (116 c), cum ad Romanos cap. 5 referatur. In dominica secunda post Pentecosten (sive infra octavam Corporis) quae legitur lectio, non est Iacobi apostoli (ѣкова апла), sed Ioannis apostoli I, 3. In dominica quinta pro lectione apostoli Pauli ad Romanos inscribi debuit beati Petri apostoli I, 3 (fol. 121 a). In dominica nona non est epistola beati apostoli Pauli ad Romanos, sed ad Corinthios I, 10. In feria sexta quattuor tempo-

rum septembris pro езекиела пррка scribendum erat Oseae prophetae cap. 14 (fol. 128 b), et in sabbato eiusdem dominicae pro малехие corrigas scribam et legas Michaeae (fol. 129 b).

Qui scribae errores laudandi quidem non sunt, tamen haud raro in aliis quoque libris manu scriptis reprehenduntur.

Quas praeterea discrepantias animadverti, tam parvi momenti puto esse, ut silentio praeterire liceat. Attamen moneo dominicas, quae in Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima appellari solent, nostro in codice aliis nominibus definiri: ндле в' коу поущаетсе аѣ (dominica in qua ova deponuntur), ндле пред' месопоустомь (dominica ante Carniprivium), ндла на месопоусть (dominica in Carniprivio). Quibus haec quoque addenda sunt: In feria sexta maioris hebdomadae, ubi adoratio crucis celebratur, chorus duas in partes discedens cantat versus, partim graece, partim slovenice, quem ritum codex noster sic describit (fol. 88 b–c):

Корь на двое стоеще поють ед'на страна грчки а дроуга словин'ски.

Грчки ан · агиось о тѣось. словѣнски · сти бе . грчки · агиось искирось . слвн · сти крпки . грч · станатаноcь (sic!) елеижонь имась . сл · сти бесмрт'ни помлоуи нсь.

И за тимь два говорита врсь etc.

Neque ab re alienum esse credo, si hoc loco admonuerim in antiquissimis codicibus glagoliticis plures etiam versus graeca lingua, characteribus autem glagoliticis scribi, qui ad eandem adorationem spectent. Cuius rei exemplum habes in fragmento Missalis glagolitici, a Berčić pag. 33 libri, qui Čitanka inscribitur (Pragae anno 1864 impressi), edito.

Post sabbatum sanctum, fol. 99 a, b, aliquot rubricae de alleluia, de credo, de aliis rebus continuantur, columna autem tertia eiusdem folii dominica Paschae excipit, in qua praeter officium missae benedictiones lactis (млтвь бլвити млико), agni et reliquae carnis (блвь агнц и мес'), casei (млтвь блвити сирь), describuntur.

Quarum argumentum cum ab eis, quas in ritualibus latinis repperi, orationibus prorsus differat, uberius quod exponatur dignum est. Et quidem benedictio lactis ex duabus constat orationibus, quarum prior brevissima haec praebet:

Призри ги на млтвь мою сию. коу приносимь слоужбами, да изволеними

таинами вѣч'ное циление приемлюще, ѣко твоѣ др'жава и слава отцу и сноу и дхоу стомоу.

Verba haec nec ad finem perducta sunt neque bene intellegi possunt, quorum archetypon in euchologio Sinaitico habes: **Молитва надъ сꙑромь вь великꙑ сѫботꙑ вечеръ. Приими господи молитвꙑ нашѧ съ приносимꙑими слоужъбами, изволенами начѧтами таинами, вѣчьное ицѣление приемлѭще, тебѣ даѭщю господемь нашимь и тебѣ славѫ въсꙑлаемъ, отьцю и сꙑноу и свѧтоуоумоу доухоу.**

Posterior oratio, quae amplior est, sic habet:

Блнь еси, ги бе оць ншихь, и блно и слвно име твое стое, ги бе ншь, ки блви олокавтоу авраамлю под' доубомь амбриискимь, тлць оупитени и меккь, и овань др'жими рогома (miss. nov. за роги) в' гр'моу савикови · блнь еси, ги бе оць ншихь, приѣмь кадило азариино (miss. nov. захариино) изла (sic!) в' олкавтоу си рба своего вир'н(а)го (miss. nov. вѣр'наго вь олокавтоу си приѣль), тко прими жр'твоу блгооуханиѣ и воли их' точни створи. питание (miss. nov. пѣние, lege питѣние) их' оумножи, стада их' многоплод'на створи и хоениѣ (miss. nov. хождениѣ) ихь анћлскою силою огради, да вска (miss. nov. всагда) довол'но имоуще, избитачствоующе (miss. nov. избит'частво) в' всакомь дили (nov. дѣлѣ) блазѣ, тебѣ оугод'на твореще и слвеще оца и сна и дха сго.

„Benedictus es Deus patrum nostrorum et benedictum atque glorificatum nomen sanctum tuum, domine deus noster, qui benedixisti holocaustum Abraam sub quercu Mambre, et vitulum saginatum et arietem haerentem cornibus in dumo Sabec. Benedictus es, domine deus patrum nostrorum, qui incensum Zachariae accepisti, fidelisque Heliae holocaustum suscepisti, sic suscipe hanc oblationem suavissimi odoris et boves eorum saginatos fac, armenta eorum exubera, greges eorum multifructos fac, ambulationesque eorum virtute angelica circumda, ut semper omnium abundantiam habentes in omni bono opere tibi iucunda faciant et glorificent patrem et filium et spiritum sanctum."

Verba huius orationis eam, quae a Goaro in euchologio graeco pag. 526 editionis Venetae ab anno 1730 affertur, orationem in mentem revocant: Εὐχὴ ἐπὶ μνήμῃ τοῦ ἁγίου διὰ δόσεως κρεῶν, οἴνου, ἄρτου καὶ κολύβων. Ὁ εὐ-

λογήσας τὴν θυσίαν τοῦ Ἀβραὰμ καὶ προσδεξάμενος τοῦ Ἡλιοῦ τὰς ὁλοκαρπώσεις ... ταῦτα ὡς τὴν τοῦ Ἄβελ θυσίαν πλήθυνον, τὰ γεννήματα τῶν προσενεγκάντων καὶ τὰ ποίμνια αὐτῶν καὶ βουκόλια πολύτοκα, καὶ τοὺς βόας παχεῖς ἐν τῇ σῇ ἀγαθότητι ποίησον. καὶ αὐτοῖς σωτηρίαν ψυχῆς ἀνθ' ὧν μέμνηνται τῶν πτωχῶν τοῦ λαοῦ σου ἐν τῇ δικαιοκρισίᾳ σοὶ δώρησαι, ἵνα πάντες αὐτάρκειαν ἔχοντες εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν καὶ σοὶ εὐάρεστον περισσεύσωσι, δοξάζοντες τὸ πανάγιον ὄνομά σου τοῦ πατρός.

En prima magni momenti testimonia, quibus nexus librorum glagoliticorum croaticae familiae cum vetustissimis tam glagoliticis quam cyrillicis euchologiis, quae graeco ex fonte fluxerunt, evincitur. Itaque non miraberis, puto, quod etiam haec altera oratio iam in euchologio Sinaitico occurrit, cuius verba mirum quantum cum nostro textu concordant: **Благословенъ еси, господи боже отьцъ нашихъ, и благословено имѧ славꙑ твоеѩ и свѧтое. благословенъ еси, господи боже, благословивꙑи жрътвѫ аврамлѭ подъ дѫбомь мамьбрийскꙑмь и телець мѧкокъ и овенъ дръжимъ за рогъ(ı) въ грꙑмоу савековѣ. благословенъ еси, боже отьць нашихъ, приемꙑ кадило захарꙑино и илиѩ вѣрънаaго в'сеплодъное · тако приими и сиѭ жрътвѫ въ вонѭ благоѫханиѣ, волꙑ ихъ тоучьнꙑ сътвори, питѣниѣ ихъ оумъножи, стада ихъ многоплодьна сътвори, въхождение ихъ и исхождение анћелъскоѭ силоѭ си огради, да в'сегда в'сѣкъ доволъ имѫще избꙑтъчьствоуемъ во всѣкомь дѣлѣ блазѣ и тебѣ оугодно славѧще имѧ твое отьца и свѧтаaго доуха, нꙑнѣ...**

Hic mirus duorum codicum consensus, quorum alter in regionibus Macedoniae saeculo XII, alter in Dalmatia saeculo XV scriptus est, pertinet etiam ad orationem quae mox sequitur.

Orationem dico ad benedictionem agni, cuius verba in missali Hervoiae haec sunt:

Походи (miss. nov. Посѣти) г̄и ис̄хе вса брашна сиѣ, агнаць си благослови, како приѣти сподобиль еси аганца, кога ти авель приведе в' олокав'тоу, како (miss. nov. ѣкоже) и онь сподобил' се ē твоее бл̄годѣти наслаѣти се (miss. nov. наслаждати се), т̄ко и ми семоу свещению насладим' се в' пищоу нашоу, въ име о̄ца и с̄на и д̄ха ст̄го.

Graecam orationem eiusdem argumenti in euchologio Goari repperi, quod haec praebet:

Εὐχὴ εἰς τὸ εὐλογῆσαι ἐδέσματα κρεῶν τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ κυριακῇ τοῦ πάσχα.

Ἐπίσκεψαι, κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, εἰς τὰ ἐδέσματα τῶν κρεῶν καὶ ἁγίασον αὐτὰ ὡς ἡγίασας τὸν ἀμνὸν, ὃν σοι προσήγαγεν ὁ πιστὸς Ἀβραάμ, καὶ τὸν ἀρνὸν ὅνπερ Ἀβελ σοι προσήνεγκεν εἰς ὁλοκάρπωσιν, ὁμοίως καὶ τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, ὃν θῦσαι ἐκέλευσας τῷ υἱῷ σου τῷ πεπλανημένῳ καὶ πάλιν ἐπανελθόντι πρὸς σὲ, ἵνα καθὼς αὐτὸς ἠξιώθη τῆς σῆς χάριτος ἀπολαῦσαι, οὕτω καὶ τῶν ἁγιαθέντων ὑπὸ σοῦ καὶ εὐλογηθέντων ἀπολαύσωμεν εἰς τροφὴν πάντων ἡμῶν. σὺ γὰρ εἶ ἀληθινὴ τροφὴ καὶ ὁ δοτὴρ τῶν ἀγαθῶν καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

Verum textus missalis Hervoiae magis etiam euchologio Sinaitico illustratur: **Молитва надъ агньцемь на пасхѫ. Призьри господи Исоухристе на си брашьна твоѣ и на агнець сь и свѧти и, ѣкоже свѧтити изволи агнець иже приведе авелъ во в'сесъжагаемаа, да ѣкоже онъ съподоби сѧ твоеи благодѣти насладити сѧ, тако и мꙑ сего свѧщена благословена тобоѭ наслади[хо]мъ сѧ въпиѭщю** (sic! melius erat **въ пищѭ**)**. ѣко твое естъ цѣсарьство, сила и сла(ва).**

Tertiam quae ad benedictionem casei et ovorum spectat oratiunculam praetermitto, cum nulla graecae originis vestigia prae se ferat.

Dominica post Pentecosten vicesima quarta fol. 136 c Proprii missarum de tempore finem facit. Sequitur Ordo Missae (fol. 136 d), qui ab his verbis exorditur: Ерѣи егда се обрачи (sic!) ка м'ши по закн҃ь рим'скога двора. р'ци сие д҃ пс҃мь: „Sacerdos cum ad missam induitur, secundum ordinem curiae Romanae, hos quinque psalmos recitet:

Коль взлюблена: Quam dilecta tabernacula tua;

Бл҃виль еси г҃и: Benedixisti domine terram tuam;

Приклони г҃и оухо: Inclina domine aurem tuam;

Вѣровахь: Credidi;

Из глоубинь: De profundis.

Antiphona. Не вспоминаи грѣхь: Ne reminiscaris.

Oratio. Оуши мл҃сти твоее мл҃срди бж҃е к мл҃твамь твоимь приклони: Aures pietatis tuae, mitissime deus.

Alia oratio. Боже комоу всако ср҃це: Deus cui omne cor patet.

Alia oratio. Садѣ боуди намь просимь г҃и сила д҃ха: Adsit nobis, quaesumus domine, virtus spiritus.

Alia oratio. Мисли н҃ше, мл҃ те г҃и, д҃хь с҃ти параклить: Mentes no-

stras, quaesumus domine, spiritus sanctus Paraclitus.

Mox excipit Introitus cum orationibus, quas ordine indico: Отими (Aufer), Молим те ги (Oramus te, domine), Очисти срце (Munda cor meum), Боуди гь в срци (Dominus sit in corde), Прими сти оче (Suscipe sancte pater), Бе ки чскго соущьства (Deus qui humanae substantiae). Haec omnia non aliter in missalibus nostri temporis leguntur.

In foliis 138 et 139 variae Praefationes afferuntur, quarum series haec est (prima omnibus communia verba ubivis omitto):

Како в проплщение ссе (quia per incarnationem verbi),

Како егда единѳчеди снь твои (quia cum unigenitus tuus in substantia),

Ки телес'нимь пощениемь (qui corporali ieiunio),

Тебѣ юре ги в' всако врме (te quidem Domine omni tempore),

Ки по вскрсновени своемь (qui per resurrectionem suam),

Ки взашадь нада вса нбса (qui ascendens super omnes caelos),

Ки сь единочедимь сномь (qui cum unigenito filio),

Ки спсние чловѣчьскога рода (qui salutem humani generis),

И тебѣ в часть бжние мрие всагда дви (et te in beatae Mariae virginis),

Тебѣ юре ги прилежно молимь, да стада твоего (te domine suppliciter exorare, ut gregem tuum),

Намь тебѣ виноу и ваздѣ (nos tibi semper et ubique).

Folio 140 a Canon missae sequitur, cuius prima verba Тебѣ юре latinis „Te igitur" respondent, concluditur autem fol. 142 c, d cantico trium puerorum hisque duabus orationibus:

Пмлмсс. Б(ож)е ки тримь отрокомь оукротиль еси пламень оган'ни, подаи млстивь, да н(а)сь рабь твоихь не ож'жеть пламень блоуд'ни. Г(осподо)мь н(а)шимь. „Deus qui tribus pueris" etc. Eadem oratio in missali Novakii fol. 162 b legitur.

Дѣѣниѣ н(а)ша м(о)л(имь) те, г(осподи)и, и предихае пред'ходи и помагае наслѣдоуи, да всако н(а)ше м(о)ление и дѣѣние и тобою всагда почето и тобою почан'ше свршитсе. Х(ристо)мь г(осподо)мь н(а)шимь. Ам(е)нь. „Actiones nostras, quaesumus te domine, aspirando praeveni" etc. In missali Novakii fol. 162 c repetitur.

Novakii liber adiungit sequentiam: Слва вь виш'нихь (Gloria in excelsis), quam noster in fine libri apposuit.

CAPUT V.

Excerpta Kalendarii.

In Kalendario, quod foliis 143—148 Proprio de tempore nec non Ordini et Canoni missae succedit, commemorationes singulorum festorum coloribus distinguuntur: festa quae duplicia et semiduplicia dicuntur, plerumque minio, simplicia atramento notata sunt. Quem usum sequentes nos quoque omnia quae qualibet de causa memoratu digna videbuntur, ex Kalendario deprompta, partim minio partim atramento exprimemus.



Fig. 7.

Енварь има дн҃и · ⰌⰀ.

Ianuarius habet dies XXXI.

Die I: Обрѣзание гн҃е до҃у ×: Circumcisio Domini, dupl.

Die VI: Крщение гн҃е до҃у ×: Baptizatio Domini, dupl.

Die VII: **И҃вна хи҃тла до҃у** ×: Ioannis baptistae, dupl.

Вер'варь има дн҃и · ⰋⰇ.

Februarius habet dies XXVIII.

Die XIV: **Чоурила и Вален'тина и Метоудие**: Cyrilli et Valentini et Methodii.

Die XXIV: Матие ап҃ла · на нега дн҃ь прѣстоупь бива: Mathiae apostoli.

Мар'чь има дн҃и · Ⰼ.

Martius habet dies XXX.

Die XXV: Бл҃говѣщение бр҃це до҃у ×: Annunciatio B. M. V. dupl.

Die XXVII: Вскрѣшение гн҃е: Resurrectio Domini.

Април има дн҃и · Ⰼ.

Aprilis habet dies XXX.

Die VI: **Метоудие п҃пи**: Methodii pontificiis.



Fig. 8.

Die XX: Елене црце ка крижь наиде: Helenae imperatricis, quae crucem invenit.

Die XXIII: Ђеорьђиѣ мч: Georgii martyris.

Die XXV: Мар'ка еѵлста доу ×: Marci evangelistae dupl.



Fig. 9.

Маи има дни · лѧ.

Maius habet dies XXXI.

Die I: Филипа и Ѣкова аплоу · доу ×: Philippi et Iacobi apostolorum dupl.

Die III: Обрѣтение крижа × и александра и прчхь мч: Inventio s. Crucis et Alexandri et caeterorum.

Die VII: Доуима бс мч: Domnii episcopi mart.

Die VIII: Ѣвление михаила архнѣла · доупль ×: Apparitio s. Michaelis archangeli, dupl.

Die XXII: Елене црце: Helenae imperatricis.

Июнь има дни · л.

Iunius habet dies XXX.

Die XV: Вида и Мен'доста и Крстен'цие мч: Viti et Modesti et Crescenciae mart.

Die XXIV: Роиство ивна крстла · доу ×: Nativitas s. Ioannis baptistae dupl.

Die XXVII: Владислава крала ис: Vladislai regis conf.

Die XXIX: Петра и пвла аплоу · доу · ×: Petri et Pauli apostolorum dupl.

Die XXX: Вспоменоутие пвла апла · доу · ×: Commemoratio Pauli apostoli dupl.

Июлѣи има дни · лѧ.

Iulius habet dies XXXI.

Die XXII: Мрие магдалени поль доу ✕: Mariae Magdalenae semidupl.

Die XXV: Ѣкова апла доу ✕: Iacobi apostoli dupl.

Die XXVI: **Пасториѣ попа и анне**: Pastorii sacerdotis et Annae.

Авгоусть има дни · лѧ.

Augustus habet dies XXXI.

Die I: Оуза птра апла: Vincula Petri apostoli.

Die III: Обрѣтение тлесе стипана а мч: Inventio corporis s. Stephani protomartyris.

Die X: Ловрѣн'ца мч · доу ✕: Laurentii mart. dupl.

Die XII: Клари дви доу ✕ свомоу редоу: Clarae virginis duplex suo ordini.

Die XV: Преставление брце доу ✕: Assumptio B. M. V. dupl.

Die XX: **Брнарда опта ис · И Штифана крала оугрскога ис**: Bernardi abbatis conf. Et Stephani regis hungarici conf.

Die XXIV: Бартоломѣѣ апла доу ✕: Bartholomaei apostoli dupl.

Die XXVI: **Лодовика крала франачкога ис**: Ludovici regis francici conf.

Die XXVIII: Августина бе · ис · доу ✕: Augustini episcopi conf. dupl.

Die XXIX: Оусичение глви ивна кретла доу: Decollatio sancti Ioannis baptistae dupl.

Сектбрь има дни · л.

September habet dies XXX.

Die VIII: Роиство брце доу ✕: Nativitas Mariae virg. dupl.

Die XIV: Вздвижение кржа доу ✕: Exaltatio s. crucis dupl. **И Чабриѣна**: Et Cypriani.

Die XVIII: **Тиодори дви**: Theodorae virginis.

Die XXI: Матѣѣ апла и еѵлиста доу ✕: Matthaei apostoli et evangelistae dupl.

Die XXVII: Коузми и Дом'ѣна и прчхь

мч: Cosmae et Damiani et reliqu. mart.

Die XXIX: Свещение цркве Михаила архнћла доу ×: Dedicatio ecclesiae s. Michaelis archangeli dupl.

Die XXX: Еронима прозвитера ис доу ×: Hieronymi presbyteri conf. dupl.



Fig. 10.

Октебарь има дни · лѧ.
October habet dies XXXI.

Die IV: Фран'чиска ис доу × свомоу редоу: Francisci conf. dupl. suo ordini.

Die XVIII: Лоуки еѵлста доу ×: Lucae evangelistae dupl.

Die XXVI: Евариста попа мч и Димитра мч: Evaristi papae mart. et Demetrii mart.

Die XXVIII: Симоуна и Июди аплоу доу ×: Simonis et Iudae apostolorum dupl.

Новем'брь има дни · л.
November habet dies XXX.

Die I: Всихь стихь доу ×: Omnium sanctorum dupl.

Die II: Вспоменоутие всихь оумрвшихь: Commemoratio omnium mortuorum.

Die V: Емриха крала ис: Emerici regis conf.

Die VIII: Санамь анћль и четирихь мч кроун'нихь: Conventus angelorum et quattuor coronatorum.

Die IX: Крщение спса в Рими доу ×: Baptizatio (Dedicatio basilicae) Salvatoris Romae, dupl.

Die XI: Мар'тина бс ис: Martini episcopi conf.

Die XII: Мартина ппи мч: Martini papae mart.

Die XIV: Ивна бс ис в Трогири: Ioannis episcopi confessoris Tragurii.

Die XVIII: Крщение Птра и Пвла в Рими: Baptizatio (Dedi-

catio basilicae) Petri et Pauli Romae.

Die XIX: Елизабети кщере крала оугрскога: Elisabethae filiae regis hungarici.

Die XXV: Катарини дви мч · поль доу ×: Catharinae virginis mart. semidupl.

Die XXX: Андрѣѣ апла доу ×: Andreae apostoli dupl.

Дектбрь има дни · ⰎⰀ.

December habet dies XXXI.

Die VI: Никоули бс ис доу ×: Nicolai episcopi conf. dupl.

Die VII: Амброза бс ис доу ×: Ambrosii episcopi confessoris dupl.

Die VIII: Зачетие Мрие дви · доу ×: Conceptio Mariae virginis dupl.

Die XIII: Лоуцие дви мч: Luciae virginis mart.

Die XXI: Томи апла доу ×: Thomae apostoli dupl.

Die XXV: Роћ'ство Хво доу ×: Nativitas Christi dupl.

Die XXVI: Стипана првога мч доу ×: Stephani protomartyris dupl.

Die XXVII: Ивна апла и еѣлиста доу ×: Ioannis apostoli et evangelistae dupl.

Die XXVIII: Стихь млдниць: Sanctorum infantium.

Die XXXI: Селвестра пии ис: Silvestri papae conf.

In his electis Kalendarii festis animum intende, quaeso, ad commemorationem Cyrilli et Methodii, quae sub decimo quarto Februarii notatur, deinde praecipuorum quattuor Sanctorum Hungariae memoriam respice: Vladislai vigesimo septimo Iunii, Stephani regis apostolici vigesimo Augusti, Emerici regis quinto Novembris et Elisabethae undevigesimo Novembris. Omnes quattuor sub eisdem diebus etiam in Kalendario, quod missali glagolitico, anno 1483 impresso, praemittitur, nominantur. Sed cum festum s. Stephani regis apostolici per totam dioecesim Zagrabiensem, quae maximam partem Croatiae et Slavoniae amplectitur, duplex habeatur, quod nostro in codice utpote atramento, non minio descriptum, simplex ponitur, iam hinc concludere licet codicem Hervoiae nequaquam intra fines Croatiae confectum esse, sed in Dalmatia lucem aspexisse.

Neque vero praetermittendum esse censeo in Kalendario festum Resurrectionis Domini seu Pascha ad vigesimum septimum Martii diem referri. Quod cum festum sit mobile, et tamen a scriba codicis certo diei adscribatur, consentaneum mihi videtur affirmare, aut illo ipso quo codex scriptus sit, aut certe proximo anno festum Paschae in diem vigesimum septimum Martii cecidisse. Iam si libros, quibus dies Paschae per varia saecula determinatur, consulturus es, ex omnibus disces, opinor, initio saeculi decimi quinti Pascham bis tantum ad vigesimum septimum Martii diem quadrare: anno scilicet MCDVII atque anno MCDXVIII. Quoniam vero, ut supra dixi, ipse Hervoia dux anno MCDXV mortuus est, neque probari potest codicem nostrum alio tempore, quam vivo duce, scriptum esse, dubium non est, quin prior annus praeferendus sit. Itaque si Kalendarii nostri adnotatio Paschae quidquam valeat,*) equidem codicem anno MCDVII confectum esse contenderim.

CAPUT VI.

Argumentum partis posterioris.

Altera pars codicis, quae Proprium missarum de Sanctis amplectitur, eadem plane singulorum mensium festa exhibet, ac Missale vindobonense glagolitae Novakii, quae haud scio an operae pretium futurum sit, singillatim enumerare. Agmen ducit in mense Novembri vigilia sancti Andreae, quae iam supra notata est; deinde II. С҃го Сатоурнина м҃чника: Sancti Saturnini martyris 149 a. Sequitur: В с҃ти д҃нь Андрѣѣ ап҃л(а): ipsum s. Andreae apostoli festum 149 c. — Festa autem Decembris haec sunt: Дек҃тбра VI: Никоули исповѣдника: Nicolai confes-

*) Consulto hoc utor verbo, quia non me fugit in veteribus martyrologiis persaepe „Resurrectionem Domini" ad 27 d. Martii, duobus diebus post Annunciationem S. Mariae, quae 25 Martii celebratur, referri. Qua de re videsis Gerberti Monumenta veteris liturgiae alemannicae, ed. anno 1777, I. 459, 472, 485, 494. Itaque fieri potuit, ut etiam noster codex, auctoritatem veterum librorum manuscriptorum secutus, diem resurrectionis non ad suum annum referret, sed pro solito more poneret.

soris 150 b. — На дн҃ь сго Амброзиѣ: S. Ambrosii 150 c. — **Дектебра** x: Дамаска испвдн (rectius vind. cod. Дамаса): Damasi confessoris 150 c. — **Дектебра** XIII: Лоуцие дви: Luciae virginis 150 d. — На дн҃ь сго Томи апла: S. Thomae apostoli 150 d.

Festa Ianuarii: **Енвара** XIV: Филициѣ ппи: S. Felicis papae (!) 151 a. — **Енвара** XVIII: Приски дви: Priscae virginis 151 b. — Маврициѣ и Мар'ти з дроужиною: Mauricii (!) et Marthae cum sociis 151 c. — **Енвара** XX: Фаб'ѣна и Шеб'ст'ѣна: Fabiani et Sebastiani 151 d. — **Енвара** XXI: Агние дви: S. Agnetis virginis 152 a. — **Енвара** XXII: Виценʼца и Настасиѣ: Vincentii et Anastasiae 152 b. — **Енвара** XXIII: Мерен'цифни дви и мчнице: Emerentianae virginis et mart. Additur rubrica: боуди чинь више како на дн҃ь сте Приски 152 b. — На обращение Пвла на вѣроу: In conversione s. Pauli 152 c. — **Енвара** XXVIII: Дроуге Агние (miss. nov. дроугочь Агние): alterius Agnetis 153 c.

„Ad missam. Psalmum in his et orationem quaere de Trinitate. Benedicta sit sancta Trinitas. Oratio. Exaudi nos, omnipotens et misericors deus, ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione impleatur.“ (Ita oratio latina, sed auctor versionis slavicae male intellecta verba latina interpretatus est, quasi legisset: Exaudi nos, omnipotens misericors deus, ut qui nostri ministerii gerimus officia, tua benedictio iam in nobis impleatur.)

Epistola: ad Corinthios I, 7. 25. Sed in missa pro Sponso et Sponsa, quae in missalibus legi solet, non haec lectio affertur, sed alia ex epistola ad Ephesios, cap. 5. Animadverte, quaeso, etiam verba slavica „о юнотахь и дѣвахь“, non latino textui respondere, verumtamen iam in antiquissimis versionis palaeoslovenicae codicibus legi (uti ex Apostolo Sisatovacensi, Carpiniano, aliis elucet). Rubrica refert lectionem nostram ad Commune Virginum, quod probatum est.

„Psalmus: Benedictus es, domine, qui intueris.“

Evangelium secundum Matthaeum cap. XIX, 3—11.

„Psalmus. Benedictus sit deus. Secreta. Suscipe, domine, pro sacra connubii lege munus oblatum et cuius largitor es operis esto dispositor.“

Etiam huius orationis longe alia verba in versione slavica leguntur, quae nihil plane valent, cum partim misere corrupta sint, partim iam primum interpretem magnae litterarum latinarum ignorantiae coarguant. Qui cum vocabulum „connubii“ slavice vertere non ausus esset, latinum servavit, unde scriba nostri codicis ridiculum коню бичь (equo flagellum) extricavit!

„Alia oratio: Quaesumus te, omnipotens Deus, instituta providentiae tuae pio favore comitare“... (Ne hic quidem prior orationis pars bene versa est, sed quae mox in versione sequuntur verba, magis etiam discrepant: „quos amore gratiae tuae nutrivisti“!)

Deinde in codice Hervoiae excipit rubrica:

Здѣ пп' проси ею под' великоу ротоу, кко заправда ста црквь по закноу рим'скога двора, ако а дроугомоу хоще

до смрти: „Hic sacerdos quaerit ex eis sub magno iuramento, sicuti sancta ecclesia iuxta ritum curiae romanae praecipit, velintne alter alteri usque ad mortem (sc. fidem servare).“ Садѣ положи прстень на олтарь: „Nunc ponat annulum in altari.“ Ги по. Хе по. Оче нш (Kyrie el. Christe el. Pater noster).

Орц Блв † и ги саздание сие, да боудеть на спсение народоу твоемоу и под' знамениемь имене сго твоего да идѣже се понесеть тѣлоу на здравие, а дши на спсение приѣти.

Блв † и ги пр'стень са и ке ми в' твое име блвламо, идѣже понесет' се, в' твои мирь да оустроит' се, и да живета в' твоеи млсти (miss. nov. воли), и да познаета се в' любви в' дл'готоу дни своихь. Гмь нш.

Пошли бе силоу твою и оутврди ке еси садѣлаль в' нась от црке стие твоее, ка е в' ерслмѣ. запрѣти звѣремь тр'ст'нимь и сан'моу (miss. nov. санамь) юнаць в' юницахь людаискихь (sic! miss. nov. людаскихь), за творение (miss. nov. створи) искоушение сребромь или (miss. nov. и) златомь · тѣмжде гмь н.

Твор'че и хранителю (miss. nov. саздателю) всега народа и поставителю (miss. nov. под'дателю) млсти дховние, ти ги пошли дхь твои параклить на (miss. nov. над') са прстень раба и рабине твоее. гмь.

Omnes has oratiunculas cum latinis, unde fluxerunt, fontibus comparare licet, sed tres tantum posteriores in vetustis missalibus ad ritum in Sacramento Matrimonii observandum spectant, quod liber de antiquis ecclesiae ritibus Edmundi Martene (editione Antuerpiana ab anno 1736 usus sum), tomo II, pag. 360 testatur. Primam vero orationem, quam benedictionem ad omnia libri appellant, cum textu codicis bibliothecae Vindobonensis palatinae num. 1888 contuli, ubi haec paene latina slavicis verbis congrua esse video:

„Benedic domine creaturam istam, ut sit remedium salutare generi humano et per invocationem sancti nominis tui, quicumque eam gestaverit, corporis sanitatem et animae tutelam (salutem) percipiat.“

Tres posteriores in libro Martene hac forma traduntur:

„Benedic domine hunc annulum, quem nos in tuo sancto nomine benedicimus, ut qui eum portaverit, in tua pace consistat et in tua voluntate permaneat, et in amore tuo

vivat, crescat et senescat, et multiplicetur in longitudinem dierum.“ (Sed slavica versio alia latina postulat: „et ut in tua voluntate vivant, in amore cognoscantur in long. d.“ Plurali numero eadem expressit etiam Sacerdotale Venetum ab anno 1560, pag. 31 b.)




Fig. 13.

„Manda deus virtuti tuae, confirma hoc deus quod operatus es in nobis, a templo tuo in Ierusalem, increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati sunt argento.“ (Versio slavica non nihil discrepat: interpres textum latinum sub fine male intellexisse videtur, idem ille post „argento“ addidit „vel auro“.)

„Creator et conservator humani generis, dator gratiae spiritualis, aeterne deus, tu permitte spiritum tuum paraclitum super hunc annulum.“ (Etiam hic versio slavica aut superflua exhibet, aut alium textum latinum sequitur: „totius generis“, „super hunc annulum servi et ancillae“.)

Modo nova rubrica sequitur:

Здѣ положи прстень на роукоу десноу. Пс. Бжни вси боеще се га: „Hic mitte annulum in manum dextram. Psalm. Beati omnes, qui timent dominum.“

Sed missale Novakii eundem ritum aliter explicat, cum quo etiam editio princeps Veneta concinit:

Здѣ имѣи ппь ротити юнака и двицоу, име испитавь едномоу и дроугомоу, да имата држати вѣроу закономь римске цркве, а за свѣдоч'ство ппоу ки блвла прстень. И за тимь рци пс. Блжни в'си боеще се га. И рекше псмь, дав пр'стень юнакоу, а юнак' га положи двици на роукоу.

„Hic sacerdos iuvenem et virginem, inquisitis nominibus utriusque, iurare iubeat eos fidem servaturos esse iuxta legem sanctae ecclesiae romanae, et per testimonium sacerdotis, qui annulum benedicit. Deinde psalmum dicat: Beati qui timent dominum; atque psalmo dicto annulum det iuveni, qui eum in manum virginis mittit.“

In utroque codice ritus nuptialis concluditur his tribus orationibus:

Бе авраамовь, бе исаковь, бе иѣковль, сами в'злюбише те, ти наплни † блниѣ твоего в нихь. Latina est oratio haec: „Dominus Abraham, Dominus Isaac, Dominus Iacob, ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.“ Sed mirum,

quod uterque codex pro verbis „ipse coniungat vos“ versionem praebet, quam latine non aliter interpretari possum, nisi hisce verbis: „ipsi amore tui capti sunt (sive: ipsi adamaverunt te), tu imple benedictionem tuam in eis.“

Призри ги с нбсе сго твоего над' се приш'стие и како посла стго анћла твоего рапаила (ita miss. nov., miss. herv. male рагоуила) к' тобии и к' сар'рѣ, дещерѣ рагоуилевѣ, такоће и нне достоино пошли † блние твое на савкоупление ею, да в' твоеи воли любез'но и в твоеи стлости и в' твоеи любви да живета и растета и плодита се и вић'та чеда чедь ваю даже до третаго и четвртаго рода и боуди симе ваю блно в' вѣки от ба излва оумноженiѣ в' длготоу дни. Versioni slavicae proxime hic accedit oratio latina apud Martene II, 357: „Respice, domine, et benedic de coelis conventionem istam, et sicut misisti sanctum angelum tuum Raphaelem ad Tobiam et Sarram filiam Raguelis, ita digneris, Domine, mittere benedictionem tuam super istos adolescentes, ut in tua voluntate permaneant, et in tua securitate consistant, et in amore tuo vivant et senescant et digni atque pacifici fiant et multiplicentur in longitudinem dierum.“ Sed textus slavicus ab istis latinis multum discessit, qui non nihil perturbatus esse videtur. Vertam eum ad verbum sic: „Respice, deus, de sanctis caelis tuis super hanc conventionem et sicut misisti sanctum angelum tuum Raphaelem ad Tobiam et Sarram, filiam Raguelis, ita et nunc mittere digneris benedictionem tuam super coniunctionem eorum, ut in tua voluntate amabiliter et in tua luce, et in tuo amore vivant et crescant et multiplicentur; et videatis filios filiorum vestrorum (sive: liberos liberorum vestrorum) usque ad tertiam et quartam generationem, semenque vestrum benedictum sit in saecula a deo multiplicationis Israel in longitudinem dierum.“

Бе авраамовь, бе исаковь, бе иѣковль, блви † сав'коупление ею, да плодита се плодом' живота вѣчнога пареть их' ва оумилен'ћи своемь живоуща и в люб'ви сь исхмь сномь твоимь дѣло добро сподобита се приѣти. His verbis latina quae sequitur oratio exprimi debebat: „Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, benedic adolescentes istos et semen semina vitae aeternae in mentibus

eorum, ut quidquid" etc. Videsis Martene II, 356, 357, 368, 374. Sed versio slavica multum differt, quod ut demonstrem, interpretabor ad verbum sic: „Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, benedic coniunctionem eorum, ut multiplicentur fructu (seminentur semine) vitae aeternae mentes (sed slavice singularis numerus legitur) eorum; in humilitate sua viventes et in amore cum Iesu Christo filio tuo ut (omne) bonum opus percipere mereantur."

CAPUT X.

Benedictio salis et avenae.

Inter caeteras quae nostro in codice passim occurrunt benedictiones, ea quae in festo s. Stephani protomartyris post missam fieri dicitur, at non in ipso festo, sed fol. 228 sub finem codicis inserta est, multis e causis paulo accuratiore recensione digna videtur esse. Constat quidem eandem benedictionem etiam in missali Novakii et in editione Veneta principe ab anno 1483 legi, sed hic pars tantum orationum, quibus noster codex in eo ritu describendo vere abundat, redit. Neque in Ritualibus latinis ea, quae noster codex praebet, habentur, teste libro quem inspicere licuit, qui Sacerdotale inscribitur, cuius editione Veneta ab anno 1560 usus sum. Itaque ad elucubrandam historiam rituum, qui in libris glagoliticis continentur, multum interest, ut omnia quae noster codex de benedictione salis et avenae praebet, in lucem prodeant. Incipit vero sic:

Терцоу свршив̓ше на Стипань днь знмнати сол̓ и зобь. In missali Novakii paulum differt: На сго Стѣпана д̓ѣкона блвити соль и зобь. In Sacerdotali ab anno 1560: Benedictio pabuli, animalium, salis, ordei, avene, et caeterorum, que in aliquibus regionibus fit in festo s. Stephani protomartyris (fol. 201).

Summa ritus secundum codicem nostrum haec est:

Чти летение. Врс. Ђви нмь ги. Ги оуслипи. Гь с вами. Lege litanias. Vers. Ostende nobis domine. Domine exaudi. Dom. vobisc.

Sequitur in utroque codice, nostro et Novakii, haec oratio:

Всмги вчни бе, ки единочедаго сна твоего вь образѣ чсцѣ бал'ство нмь послати (miss. nov. поставити) рачи, близь боуди млтвамь ншимь (и) прос'бою бжнго витеза Стипана првога мчнка твоего на сие твари соли множство твоего блниѣ излиђь, да боудеть свещена и непорочна и свршена кь исцѣлѣнию всимь вкоушающимь от нее. и подаи нмь, да никим'же злимь бѣсомь позлѣдим' се (miss. nov. позлѣдити се sine да). Гмь. „Omnipotens sempiterne deus, qui unigenitum filium tuum in effigie humana medelam nobis mittere dignatus es, prope adsis precibus nostris et intercessione beati athletae Stephani protomartyris tui super hanc materiam salis multitudinem benedictionis tuae effunde, ut sanctificata et incorrupta et perfecta sit ad sanandos omnes, qui degustant de ea,*) concedeque nobis, ut nullo malo daemone infestemur. Per d."

Чт. Рѣше мжи, ищи на єфифанию. Lectio. Dixerunt homines, quaere in Epiphaniam (haec ad lectionem libri Regum IV, 2, 19 spectant). Versiculi qui mox sequuntur, in missali Novakii absunt: Пѣс. Хвла часть и побѣда сили боуди бѡу вишнемоу н(а) нбсихь, ки вса див'нѣ строить и даеть пищоу всакои плти. Хвлоу гню и створению его вспоите оуста моѣ и всака плть блви име стое его. „Laus et honor et victoria virtutis sit deo excelso in caelis, qui omnia mirabiliter instruit et escam omni carni dat. Laudem domino et creaturae eius os meum cantet omnisque caro sanctum nomen eius benedicat."

Evangelium deinde notatur: Vos estis sal terrae; cuius loco in Sacerdotali aliud habes: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Mox sequitur benedictio salis haec:

Блвлаю те, твари сол'наѣ, и заклинам' те именемь стие троице, да не држиши дроужби ни с ким же бѣсомь в мирѣ семь, (на) паче даи слвоу истин'номоу бѡу и исхоу синоу его, толи дхоу стоу, кога мощию вса против'наѣ чска (miss. nov. чкомь) потопит' се (miss. nov. потомет' се, sed correctum in поломет' се), и ни едина вражиѣ (miss. nov. неприѣтела) ласть противити се можеть. Гмь. Ва в'се

*) Confer apud Gerbertum in Monumentis vet. lit. Alemannicae II, pag. 65 in Benedictione salis haec verba: fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina.

вки вкь . Амнь . Гь с в . И з дх . Ва вишних срца . Имамь гвѣ . Хвли всиламо гвѣ боу нш . Досто.

„Benedico te, creatura salis, et adiuro te in nomine sanctae trinitatis, ne consortium habeas cum aliquo daemone in hoc mundo, sed honorem dabis deo vero et Iesu Christo filio eius, nec non Spiritui sancto, cuius potentia omnia adversa hominum perfringuntur neque ulla fraus diabolica resistere potest. *) Per dom. in omnia saec. saec. Am. Dom. vob. Et c. spir. Sursum corda. Habemus ad dom. Gratias agamus. Dignum.“

Sequitur praefatio: Прпц.

В истиноу дос · конць · вѣчни бе.

Цроу цремь, (владико) владикамь, ки вса слвомь створиль еси и запвдию твоею основана соуть вса, ми юре (miss. nov. оубо) оумилеными гласи к' тбѣ вапиемь, млеще се да безкниѣ нша ти оцѣстиши и прос'би нше ти оуслишиши, како оуслишати рачи првдногa (miss. nov. прваго) мчнка твоего Стипана д'ѣкона, ки теби жр'твоу спситeл'ноу принесе своее плти. И смотри млтви наше, кко смотри ричи (miss. nov. глси) бжнога Ђеор'ђиѣ крѣп'кога мчнка твоего (и) все прос'би его исплни . И кко рба твоего и витеза Крсогона от моучитела Дѣоклѣциѣна пал'мою и вѣн'цемь обдарити рачи . Оукрѣпи ни, млмте ги, на злобающее нмь, кко бжнога витеза д'ѣкона Ловрѣн'ца вь ог'н'ни пламен'ни (miss. nov. про огна пламень) оукрѣпити рачи . И како многие мчки в моуцѣ оукрѣпи и млниѣ ихь оуслишати рачи . Ки коли в домоу семь стѣемь просби к тби изливаемь, оуслиши нсь от нбсе и жилища сго твоего . И помлоуи витези крст'ѣнские ки в' вѣрѣ правѣ вѣр'нѣ (miss. nov. правовѣр'нѣ) пребивають, и даи имь крѣпость на против'наѣ и злоби соупостать ихь . И мл(м) те да сиѣ соль в' име новаго вплщениѣ твоего † блна боудеть и новость твоего свещениѣ да приметь . Да всакоу вет'хость скврнь обновить мощию твоего посѣщениѣ и всакоу нечистотоу испразд'нить . Да

---

*) Prior pars orationis legitur paene ad verbum in benedictione aquae, quae teste codice nostro in ipso festo Epiphaniae fiebat, cuius verba haec sunt: Знмнаваю те, твари воднаѣ, вь име оца и сна и дха стго, да не држиши се с никимже дхомь залимь в мирѣ семь, на даи слвоу живоущоумоу боу, исхоу сноу его, и дхоу стоу . . . Textum latinum habes in Sacerdotali Veneto, ed. anno 1560, fol. 191.

к томоу нечисти д'ѣвль ни слоуга (miss. nov. слоуги) его хабити ни злобити (miss. nov. зледити) имь можеть (miss. nov. не в'зможеть), ни страха на не взложить (miss. nov. взлагати), ке ти новимь пришаствием' твоимь об'новиль (miss. nov. обогатиль) еси. Гмь нпı.

Cuius praefationis*) verba latina cum praesto non sint, liceat mihi propriam versionem adiungere, quae timeo an ubivis rem bene explicet.

„Vere dignum usque ad Sempiterne deus. Rex regum, dominus dominantium, qui omnia verbo creasti, cuius iussu omnia constituta sunt, iam nos humilibus vocibus ad te clamamus deprecantes, ut iniquitates nostras emundes precesque nostras exaudias, sicut exaudire dignatus es protomartyrem tuum Stephanum diaconum, qui salutare carnis suae sacrificium tibi obtulit. Et propitiare orationibus nostris, sicuti vocibus (verbis) beati Georgii validi martyris tui propitiatus es omnesque preces eius explevisti. Et sicuti servo tuo athletae Chrysogono a Diocletiano cruciato, palmam atque coronam donare dignatus es, ita corrobora et nos, quaesumus te, domine, contra malevolentes nobis; sicut beatum athletam diaconum Laurentium ad ignis flammam corroborare dignatus es, et sicut multos martyres in tormentis corroborasti precesque eorum exaudire voluisti, (ita) et nos, quisquis in domo hac sacra preces ad te effundit, omnes exaudi de caelis et habitaculo sancto tuo, et miserere heroum christianorum, qui in orthodoxa fide per-

*) Sed in Sacerdotali ed. anno 1560 similis oratio habetur: Domine Deus omnipotens creator caeli et terrae, rex regum et dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes et orantes ad te: qui omnia de nihilo creasti et hoc pabulum cum caeteris creaturis ad usus animalium et ad eorum nutrimentum fecisti, quae quidem animalia in adiutorium et sustentationem hominum creasti, qui hodierno die petitionem sancti Stephani protomartyris adimplesti, te humiliter deprecamur, ut has creaturas avenae, salis, et caetera, quae ad usus animalium et sanitatem eorum, sive in terra sive in aqua degentium, per invocationem sancti Nois tui et per intercessionem beatae Mariae semper virginis genitricis tuae et per merita beati Stephani protomartyris tui, cuius festum hodie recolimus, et per preces omnium sanctorum tuorum benedicere et sanctificare digneris, ut animalia quae ex eis gustaverint, sanitatem integraliter recipiant, per te, Iesu Christe, cuius solo verbo omnia restaurantur, salvator mundi, rex aeternae gloriae.




Fig. 14.

sistunt, et tribue eis virtutem contra versutiam et malignitatem adversariorum. Et quaesumus, ut sal iste in nomine novae incarnationis tuae benedictus sit novitatemque tuae sanctificationis accipiat, ut omnem putredinem inquinamentorum reparet potentia tuae visitationis omnemque immunditiam repellat; ut neque immundus diabolus neque satelles eius corrumpere aut infestare eum possit neque timorem inicere eis, quos tu novo adventu tuo recreasti (ditasti)."

Qui nunc sequitur exorcismus in miss. nov. deest: Знмнаваю те, твари сол'наѣ, именемь † оца, именемь † сна, именемь † дха сго, да боудеши виноу на побѣдоу врагоу и всеи дроужини его . Знамнаваю те † бмь живимь, † бмь истин'нимь, † бмь стимь, ки те роукою Елисѣѣ пррка (в'водоу) врищи створи, и ки те на потрѣбоу чскомоу родоу створи, людемь гредоущимь к вѣрованию рбомь твоимь, да ею вса могоут' се оутврдити и ею вса могоут' се осладити .*) Тим'ѣе ги прилежно те млимь, да сиѣ сол' вь име стие троице блние и свещение приметь силою ха га нпго, ки гредеть.

„Exorcizo te materia salis in nomine patris, in nomine filii, in nomine spiritus sancti, ut semper fias ad effugandum (expugnandum) inimicum et omnes satellites eius. Exorcizo te per deum vivum, per deum verum, per deum sanctum, qui te per manum Helisei prophetae in aquam mitti iussit, qui te ad tutelam humani generis procreavit, populo venienti ad credulitatem, per servos tuos (scribere debebat: per servos suos consecrari praecepit), ut per eam omnia firmentur et per eam omnia in dulcedinem convertantur. Proinde, domine, supplices rogamus te, ut sal iste in nomine sanctae trinitatis benedictionem et sanctificationem recipiat per virtutem Christi domini nostri, qui venturus est."

*) Aliquot sententiae huius exorcismi redeunt in benedictione salis, quae in festo Epiphaniae fit, ubi haec leguntur: Соли твое непремоѫние крѣпости, молим те господи боже, ки неоумаленою милостию нмь подати сподобил' еси, да от нее вса могоут' се оутврдити ею и вса могоут' се осладити .... „Salis tui insuperabilem virtutem, quaesumus te domine deus, qui imminuta gratia nobis dare dignatus es, ut per eum omnia corroborari possint, omniaque possint dulcedinem capere" (vel „dulcorari", quemadmodum apud Gerbertum Monument. vet. lit. Alem. II, 65 legitur).

Excipit benedictio avenae: Зобь б̄лви.

З̄нмнаваю (miss. nov. заклинаю) те, твари зоб'нае, и заклинаю те в' име † о̄ца † и с̄на † и с̄го д̄ха, да потрибиши всакоу скврноу и омраченние т'ми дѣмоун'ские от себе, да чиста и здрава пребиваеши в' оутробѣ конемь или скотомь или ка (miss. nov. кимь) любо четвероножиемь боудоущим' (miss. nov. соущимь) на потрѣбоу ч̄комь, ѣкоже вкоусеть, от т̄бѣ (miss. nov. тебе) здравие да примоуть помопцию невидимаго б̄а, ки вса в почет'ци створи и оутѣхоу четвероуннога чиста ч̄скоу родоу пода. т̄ко ниние прилежно те г̄и м̄лимь, да сиѣ пища (miss. nov. зобь) на потрѣбоу конемь (sic in miss. nov., noster четвероножиѣ) и прочимь живот'нимь бл†ниѣ твоего исплнит' се и все зледи от нее отриноут' се (miss. nov. aliter: и здравие от нее примоуть) и осоудет' се отгонеще. Гмь.

„Exorcizo te materia avenae et adiuro te in nomine patris et filii et sancti spiritus, ut omnem maculam (inquinamentum) et obscurationem tenebrarum diabolicarum extermines (deleas de te), ut pura et sana permaneas in visceribus equorum et pecorum aut quaecumque quadrupedia in usum hominum sunt,*) si de te gustaverint, sanitate perfruantur potentia dei invisibilis, qui in principio omnia fecit atque quadrupedia munda in solatium (adiutorium, sustentationem) generi humano dedit. Proinde nunc supplices rogamus te, domine, ut haec avena, in usum equorum caeterorumque animalium creata, benedictione tua expleatur omnesque nequitiae ab ea depellantur et condamnentur . . .

Смиси соль и зобь † Боуди сие смѣшение соли и зоби силою с̄го крижа в' име о̄ца и с̄на и с̄го д̄ха. Амнь. Г̄ь с вами. Commisce salem et avenam. Fiat haec commixtio salis et avenae per virtutem sanctae crucis in nomine patris et filii et sancti spiritus. Amen. Dom. vob.

Пм̄лмсе. Oremus.

Вс̄мги в̄чни б̄е, кога непреможена крѣпость ē, ки своею неоумаленою м̄лстию вса питѣеши и створиши (miss. nov. строиши), твою м̄лсть

*) „Quadrupedia munda" commemorantur in oratione altera, quae ad benedictionem agni et carnium in die sancto Paschae spectat, in Sacerdotali edito anno 1560, fol. 204 b.

обил'но на ни щедри (miss. nov. подаи) и сию тварь соли и зоби млстиво † прости, да крѣпостию крѣп'каго величьствиѣ твоего блние приметь и бал'ство спсниѣ. Да побижить нечистиви д'ѣвль от тихь (miss. nov. вcѣхь) мисть и жилищь са в'сими бѣси именем' и силою ха сна твоего, га ншего, ки свою мощ ннбси и на земли смѣси · тако нмь смиша(ю)щимь сию тварь соли и зоби вѣроующимь в рѣснотоу твою ею блниемь' и бал'ство приемати и твоее блгодѣти насладити се. Да никогда же всхищени боудем' прелащениемь прид'наго змиѣ, ке ти многоцѣн'ною кр'вию исха сна твоего га ншго искоупиль еси. Ки с тобою.

„Omnipotens sempiterne deus, cuius insuperabilis virtus est, qui tua imminuta gratia omnes nutris et restauras, gratiam tuam opulenter super nos mitte et istam materiam salis et avenae benigne sanctifica, ut per virtutem fortis maiestatis tuae benedictionem suscipiat et medicinam salutis. Ut immundus diabolus aufagiat ab his locis et habitaculis cum omnibus daemonibus, in nomine et potentia Iesu Christi filii tui domini nostri, qui potentiam suam in caelis et in terra commiscuit: sic nobis commiscentibus hanc materiam salis et avenae, ut qui in veritatem tuam credunt, benedictionem et medelam suscipiant et tuo beneficio perfruantur, ut nunquam fraude principis draconis corripiamur, quos tu pretioso sanguine Iesu Christi filii tui, domini nostri, redemisti. Qui tecum.“

Proximus qui sequitur exorcismus in missali Novakii iterum abest:

Знмнаваю те, твари соли и зоби, и в' и † ме ба саваота вснгоущаго, ки аз всих' спсние ѣви се вчеран'ни днь по тѣлоу, ки днсь бжнго Стѣпана витеза в дроужбоу анѣль вчасти рачиль еси, кога ми днсь праздникь почитаемь, ки за свое гоубтли мли, да не погиб'ноут', просим' да его оутежанием' вса пакостив'наѣ наша отдвигнеши и боудоуща блга подаши, да в'торое твое приш'стие готови дѣли добрими обрѣщем' се. И на твое радост'ние браки весели внити подаси, и блние твое приѣти в странѣ деснѣи сь всими првдними. Ки нсь от вчние семрти избави хмь сна твоего. И такое нсь в животѣ ншмь нне избви от всихь метежь мира сего напасть злоби дѣмоун'ские. Милости же твое неиз'речено божьство да послати нмь рачиши сго анѣла Рапаила с нбсь,

кога приће посла к Тобии и к' Сар'-рѣ, к'щери Рагоуиловѣ, ки (bis) прогна бѣса Асмодѣѣ. тко нне тим'ће образомь и к нмь пошли га, да таће Рапаил' проженет' дѣмоуна семр'т'наго и стареть зледещаго и погоубить от всѣхь мѣсть, в' кихь пребивають тбѣ работающе. Ки вѣрою теби слоужет', идѣже колиждо спеть и б'деть и почивають, храни е б'деще, храни е спеще от всакого шетаниѣ д'ѣвле ласти, ки еси страж' и бдитель и пастирь млстиви оваць твоихь, аг'н'че непорочни, ки дшоу свою положиль еси за ов'це свое. Ки сь оцемь и сн.

„Exorcizo te, materia salis et avenae, in nomine dei Sabaoth omnipotentis, qui pro salute omnium hesterno die in corpore apparuisti, qui hodie beatum Stephanum athletam in societatem angelorum annumerare dignatus es, cuius nos hodie festum celebramus, qui pro perditoribus suis precatus est ne perirent, quaesumus ut meritis eius omnia molesta nobis auferas futuraque bona tribuas, ut ad secundum adventum tuum bonis operibus parati reperiamur et ad tuas laetas nuptias gaudentes pervenire concedas benedictionemque tuam percipere in dextra parte cum omnibus iustis. Qui nos ab aeterna morte liberasti per Christum filium tuum, sic et nunc in vita nostra libera nos ab omnibus tumultibus huius mundi et tentationibus malitiae diabolicae. Misericordiae autem tuae ineffabilis divinitas mittere nobis dignetur angelum Raphaelem de caelis, quem prius ad Tobiam et Sarram, filiam Raguelis, miseras, qui daemonem Asmodoeum expulerat: sic et nunc eodem modo etiam ad nos mitte eum, ut idem Raphael daemonem mortis depellat et infestantem conterat et perdat in omnibus locis, ubi operantes tibi permanent, qui fidem tibi serviunt. Ubicunque dormiunt aut vigilant et requiescunt, serva eos vigilantes, serva eos dormientes ab omni impugnatione fraudis diabolicae, qui es custos et vigil et pastor benignus ovium tuarum, agne immaculate, qui animam tuam pro ovibus tuis dedisti, qui cum patre et filio (scil. vivis et regnas).“

Post versiculum Praeceptis salutaribus et Orationem Domini „Pater noster“ excipit in utroque codice oratio:

Призри, млте ги всмги вѣчни бе, на кр'хость чскаго сазданиѣ, ке твоеи власти млеще се от твоее твари к'

блнию свещениѣ ею (miss. nov. и к свещению) приносимь. Да сиѣ твоѣ тварь солнаѣ знмием' твоимь (miss. nov. твоее мощи) блна бдеть и крѣпость свещениѣ приметь. Ки рече оученикомʼ своимь. Ви есте соль земли. И аплоу пишоущоу. солию срце вше оучинено. те оумлено млмь, да сиѣ тварь соли и зоби в рѣснотоу крѣпость млсрдиѣ твоего и защищениѣ оучоует', да всаке зледи дѣмоун'ские оучоув'ше отбѣг'ноуть и отлоучет' се от нею. Спѣхь (ita nov., noster: всацѣх') же блги да пребиваеть в' всѣх' нсь помощию стое и нераздѣл'ное троице, ка в' един'ствѣ живет и црствоуеть бь в все вки вкь, амнь.

„Respice, quaesumus te domine omnipotens deus, ad fragilitatem creaturae humanae, quod potestati tuae supplices de materia tua ad benedictionem et sanctificationem afferimus, ut ista tua materia salis signo potentiae tuae benedicta sit virtutemque sanctificationis accipiat. Qui discipulis tuis dixisti: Vos estis sal terrae, et per apostolum qui scribit: Sale cor vestrum sit conditum. Te humiliter rogamus, ut ista materia salis et avenae in veritate virtutem misericordiae tuae et tutelae persentiat, ut omnes malitiae diabolicae sentientes aufugiant et secedant ab eis, profectus vero bonus permaneat in nobis omnibus, auxilio sanctae et indivisibilis trinitatis, quae in unitate vivit et regnat per omnia saecula saeculorum, amen."

Орц. Oratio.

(И)збви ни, млмте, ги бе ншь, от всѣхь' заль преминоув'ших и настоещих' и гредоущих' рбь твоихь, от ороужиѣ невѣр'наго, от глада, от меча, от пожара, от немощи залие, от семр'ти наглие и от всих' скврнь и нечистоть, ходатаиствомь бжние всагда брце Мрие, И бжнго Михаила архнѣла И сго Ивна хитла И бжнога Птра кнза апль, И стго Стипна првога мчка твоего И бжнго Бенедик'та чьст'нога опта, и прос'би ради стихь отць патриѣрахь, пррkь, апль, еѣлисть, мчнкь, испвднкь, ститель и двь и млви ради всихь стих' твоихь.

„Libera nos, quaesumus te domine deus noster, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris, servos tuos, ab armis infidelibus, a fame, a gladio, ab incendio, a mala infirmitate, a morte repentina et ab omnibus



Fig. 15.

maculis et immunditiis, intercessione beatae semper virginis Mariae, et beati Michaelis archangeli, et sancti Ioannis baptistae et beati Petri principis apostolorum, et sancti Stephani protomartyris tui, et beati Benedicti venerabilis abbatis et precibus sanctorum patrum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, confessorum, sacerdotum et virginum atque precibus omnium sanctorum tuorum.“

Орц. Oratio.

Ми † рь и † блние и † млсть оца и сна и сго дха сниди и пребиваи на сеи твари свещениѣ и на вкоушающих' от нею . Амнь.

„Pax et benedictio et gratia patris et filii et sancti spiritus descendat et permaneat super hac materia sanctificationis et super gustantibus de ea. Amen.“

Покропи свещение водоу.

Aspergas sanctificationem aqua.

CAPUT XI.

Benedictio vini.

Ritum benedictionis salis et avenae, quae in festo Stephani protomartyris fieri solebat, tam in nostro codice quam in missali Novakii atque editione principe, ab anno 1483, benedictio vini excipit, quae testibus eisdem libris in festo sancti Ioannis evangelistae observabatur. Qui ritus in libris missalibus aut sacerdotalibus priorum saeculorum non adeo frequenter obviam fit, ut accuratione descriptione supersedere liceat. Nunc iam plane abest. Quare aequum esse censeo, ut hic quoque ritus ad exemplar nostri codicis explicetur adhibitis ipsis textibus.

На днь сго Ивна по трци знмнати вино . Помлмсе . орц. (miss. nov. Ивна апла и еѵлста по миси блвти вино).

„In festo sancti Ioannis post tertiam exorcisatio vini. Oremus. Oratio.“

Бе ки единочедаго сна твоего нсь ради на распетие крижа моукою взнести рачиль еси и коп'емь Лон'ѓиноу пробости ребра его и изити крви из' ребарь его, виноу и води, тбе ги прилежно млимь, да призриши на сию

тварь вин'ноую позрениемь невидимаго и високаго бж҃ствиѣ твоего . и † бл҃виши е мл҃стию твоего и подаши (miss. nov. подаси) н҃мь твоимь рабомь вкоушающимь от твоего бл҃наго обилиѣ (miss. nov. бл҃гообилиѣ) твоее мл҃сти (и) наплнити се, да отврг'ше вет'хость осквренениѣ твоѣ новаѣ чеда написати се могли бихомь . Г҃мь . Вь все вк҃и . Г҃ь свм . И здх҃мь . Вь вишнихь . Хв҃ли вси.

„Deus qui unigenitum filium tuum pro nobis ad lignum crucis passione extolli voluisti et lancea Longini latus eius transfodi atque e latere eius sanguinem et aquam effluere, te domine supplices deprecamur, ut aspicias hanc materiam vini aspectu invisibilis et excelsae divinitatis tuae atque benedicas eam gratia tua nobisque famulis tuis de tua benedicta ubertate degustantibus gratia tua impleri concedas, ut putredine inquinationis repulsa novi filii tui scribi possimus. Per dom. in omnia saec. saec. Dom. vobisc. Et cum spir. Sursum. Gratias ag.“

Sequitur praefatio, quae in miss. nov. Профциѣ inscribitur:

В истиноу достоино и прв҃д'но е҃ право и сп҃сител'но н҃мь (miss. nov. add. тб҃ѣ) всмг҃оущаго б҃а и твор'ца всачаских' бл҃гь всимь ср҃цмь и силами слв҃ти . Ки н҃сь сн҃ом' своимь г҃мь нш҃мь от ветхое скврни очисти, кога вь из'бавление нш҃е послати свише рачи (и) пл҃ть приѣти от причистие дв҃и Мр҃ие. И в образѣ чсц҃ѣ за н҃сь на крижи оумрити рачи и избавимие посѣти ки бихоу в тамници ада и сп҃се е своею чрвленою крвию . И ки на крижи пропеть матерь дв҃оу в схранение дв҃цоу Ив҃ноу препороучи, кога ми дн҃сь праздникь чтемь, и тб҃е г҃и виноу прилежно м҃лити, да оваць твоихь, пастироу мл҃стиви, не оставиши . Да (miss. nov. на) просбою бж҃нго Ив҃на и всихь ст҃их' твоихь си плодь лозни † бл҃вити рачиши и даши н҃мь от него вкоушающимь твоего бл҃ниѣ обилие . Ки плодь лозни твоимь слв҃омь (miss. nov. слв҃ослв҃иемь) в крвь твою вѣровати н҃мь запв҃ди . Ки своимь оуч҃нкомь на вѣчерѣ в паметь моуки своее чашоу от плода лози подавь рече . Се е҃ чаша кр҃ви моее . Ки приѣе (miss. nov. прѣжде) прв҃дномоу Ною лозоу обрѣт'шоу всадити повелѣ, ки лозни плодь на потрѣбоу чк҃мь створи питие, и недоужнимь от него бал'ство (miss. nov. ликарие) подаеши . Тако н҃не м҃лте г҃и да бл҃гвити и ст҃ити рачиши си чисти плодь лозни, ча (miss. nov. еже) ми к бл҃нию имене твоего

вѣрнѣ приемлемь . Да вси вкоушающимь (miss. nov. в'коушающе) от сего блного вина ни ед'на скврна грихов'наѣ обиметь (miss. nov. add. e) и кадѣ прилиет'се к виноу от сего свещениѣ, Да не морет' никотори саль сотонинь преластити прид'нега (miss. nov. прѣд'наго) гор'каго вкоушениѣ ни саблазнити оума ихь ненавистию ке ти своею (miss. nov. стою) крвию сна твоего искоупиль еси . Ки с тобою живеть и црств.

„Vere dignum et iustum est, aequum et salutare nos omnipotentem deum et creatorem omnium bonorum toto corde et viribus glorificare, qui nos per filium suum dominum nostrum ab inveterato inquinamento purgavit, quem ad redemptionem nostram desuper mittere dignatus est et incarnari a castissima virgine Maria. Qui in figura humana pro nobis in cruce mori voluit et redimendos visitavit qui in tenebris inferni fuerunt, quos rubro (purpureo) sanguine suo salvavit. Qui cruci affixus matrem virginem Ioanni virgineo tutandam commendavit, cuius nos hodie festum recolimus: te domine semper supplices rogamus, oves tuas, pastor benigne, noli deserere, sed intercessione beati Ioannis



Fig. 16.

omniumque sanctorum tuorum hunc fructum vitis benedicere dignare et nobis gustantibus de eo tuae benedictionis abundantiam dona. Qui fructum vitis verbo tuo in sanguinem tuum (mutatum) credere nos iussisti; qui discipulis tuis ad caenam in memoriam passionis tuae calicem fructus vitis praebens dixisti: hic est calix sanguinis mei; qui prius iustum Noe vitem inventam plantare iussisti, qui fructum vitis in usum hominum potandum fecisti et infirmis in medicinam convertisti. Ita nunc quaesumus te domine, benedicere et sanctificare digneris hunc purum fructum vitis, quem nos ad benedicendum nomen tuum fideliter sumimus, ut omnes gustantes de hoc benedicto vino neque ulla macula peccati corripiat neque ubi de hac sanctificatione vino adfunditur, angelus satanae possit pellicere in priorem amaram degustationem neque scandalizare mentem eorum invidia, quos tu sacro sanguine filii tui redemisti. Qui tecum vivit et regnat."

Помолимь се

Всмги вчни бе и исхе ги, млмте, призри млствь на дѣла роукоу твоею

и си плодь лозни блви ✝ ти рачи величьствомь крѣпости твоее, все же вѣрние раби твое прости ки от (то)-го вкоусеть и твоею млстию виноу и ваздѣ хранити е рачи. Гмь.

„Oremus. Omnipotens sempiterne deus et Iesu Christe domine, quaesumus te, propitius respice ad opera manuum tuarum et hunc fructum vitis benedicere dignare per maiestatem virtutis tuae, omnesque fideles servos tuos illumina, qui de eo gustabunt, tuaque gratia semper et ubique tueri eos dignare. Per dominum.“

Помлмсе. Запвд'ми спс. Дкц. Оче нш. Прилии блнс воде к' виноу. Воуди сие смѣшение вина и води вкоуп' же и ✝ свещениѣ о хѣ исѣ гѣ ншм'. Гъ с вми.

„Oremus. Praeceptis salutaribus. Ad fin. Pater noster. Affunde benedictam aquam et vinum. Fiat haec commixtio vini et aquae, simul et sanctificationis per Iesum Christum dominum nostrum. Dominus vobisc.“

Пмлмсе. Ве ки чскго соущ. инци

Знмнаваю те твари вин'наѣ в' и ✝ ме ба оца всемогоущаго и ✝ в' име спса ха сна его ис' кого ребарь с водою изиде и ✝ в' име дха сго параклита, ки заповдию всачаскихь блгь твор'ца в срцихь вѣрнихь и в' ѣзицѣхь премоудрих' еси, да очистиши си плодь лозни от всихь скврнь и причещениемь сего свещениѣ твои вѣрни вси блние тако да примоуть. како да все крив'ди вражие тбѣ бороущоу се за ни преломет' се. Поспѣшаство блгости твоее, любвь плодовита, толи здрав'е спсител'но от него да примемь и да не ѣвимо ничтоже ненавистию, да паче люб'вию мею собою всагда пребивающе. Гмь н.

Oremus. Deus qui omnis creaturae.

„Exorcizo te creatura vini in nomine dei patris omnipotentis et in nomine salvatoris Christi filii eius, e cuius latere cum aqua exivisti, et in nomine spiritus sancti paracleti, qui iussu omnium bonorum creatoris in cordibus fidelium et in oribus sapientium es, purifica hunc fructum vitis ab omnibus maculis atque participatione huius sanctificationis omnes fideles tui benedictionem ita accipiant, ut omnes iniquitates diabolicae, te pugnante pro nobis, perfringantur. Profectum bonitatis tuae, amorem frugiferum atque valetudinem salutarem ab eo ut percipiamus, ut appareamus non in invidia

sed in mutua caritate semper commorantes. Per chr.“

Блви, просим', ста троице, всмги вчни бе, питие сие вина и води, и рби твое от нихь приемлющее прости и храни в' все вки вкь. Амнь.

„Benedic, quaesumus, sancta trinitas, omnipotens aeterne deus, potum istum vini et aquae, famulosque tuos de eis consumentes illumina et conserva in omnia saecula saeculorum. Amen.“

По миси в калежи даи вкоусити люд'мь а останакь влиђь в бачве или схрани чисто.

„Post missam vinum in calice gustandum da populo, et quod reliquum erit infunde in vas aut conserva purum.“

Hucusque de benedictione vini codex Hervoiae, cuius orationes in Sacerdotali Veneto ab anno 1560 frustra quaesivi. Neque in dissertatione Thomasii de poculo Ioannis, quam anno 1675 scripserat neque in commentatione quam Zingerle lingua germanica de benedictione Ioannis (Johannissegen) anno 1862 edidit, quidquam simile ut reperirem contigit.

CAPUT XII.

De lingua codicis Hervoiae.

In omnibus glagoliticae scripturae monumentis, quae ad usum ecclesiasticum pertinebant, continuo lingua palaeoslovenica eaque indoli linguae serbocroaticae conformis viguit, siquidem liber in finibus provinciarum, quae a Serbis et Croatis incoluntur, scriptus erat. Quibus sonorum aut formarum proprietatibus cuiusmodi lingua a sincera palaeoslovenica differat, nihil est cur explicem. Sed codicis nostri id praecipuum est, ut plus solito a lingua ecclesiastica discedat atque linguae vulgari accommodetur, quod non tantum in praeferendis declinationum atque coniugationum formis vulgaribus, sed etiam in delectu verborum manifestum fit. Imprimis, animadverte, quaeso, pronomen relativum nunquam fere palaeoslovenico vocabulo **иже**, sed semper croatico ки exprimi, qua abusione scriba missalis Novakii cautior abstinuit.

Frequentissimus pronominis ки usus, ubi **иже** exspectabatur, libro nostro speciem linguae vulgaris conciliat, quae magis etiam insignibus vocabulis, veluti ча pro **чьто**, кадѣ pro **идеже**, говорити pro **глаголати**, aut formis declinationum pronominis et adiectivi, uti кога pro **югоже**, благословенога pro **благословенаго**, aut differentiis sonorum, veluti мореть pro **можеть**, жающимь pro **жеждоущимь**, заприщаю pro **запрѣщаю**, рике раздили pro **рѣкы раздѣли**, denique ipsa orthographia, veluti слатко дриво, слатка бримена pro **сладько дрѣво, сладька брѣмена** sustentatur. Et quidem plurimis exemplis demonstrari potest, Butkonem scribam codicis nostri ea dialecto vulgari, quae vocabulo ча *(ča)* atque pronunciatione diphthongi ѣ ut *i* insignitur, usum esse, quam dialectum etiam nunc pars Dalmatiae septemtrionalis loquitur, initio vero saeculi decimi quinti apud omnes paene Dalmatas eandem in usu quotidiano fuisse probabile est. Neque a vero alienum est contendere, eodem saeculo etiam aliquam partem Bosniae, imprimis quae ad occidentem vergit, eadem dialecto, quae hodie Čakavština appellatur, gavisam esse. Hervoiam ipsum, ut commentatio mea eo unde digressa est redeat, hanc dialectum in usu quotidiano adhibuisse multis causis probatur. Cui ut lectio libri, divina officia continentis, gratior fieret, scriba Butko sermonem palaeoslovenicum magis etiam in partem vulgarem, quam in libris ecclesiasticis caeteroquin licitum erat, mutare non dubitavit. Ita non solum speciosa codicis forma, sed etiam inusitatum argumentum singularisque lingua certo cum fine libri apte cohaerent, omniaque ad illustrem eius auctorem Hervoiam referuntur.

DE

MISSALI GLAGOLITICO HERVOIAE

COMMENTATIO HISTORICA.

I.

De Hervoiae ducis vita.




Fig. 17.

Missale hoc domino Hervoiae duci illustrissimae civitatis Spalatensis dedicatum fuit. Quam dedicationem praeter textum codicis attestantur primum adumbratio clarissimi ducis equestris, deinde eius arma depicta, quae missali addita operis pretium haud minime augent. Neque solum argumentum codicis, sed etiam persona eius, cui librarius artifexque huius operis studiorum fructus obtulerant, artissime cum historia regni Bosniae cohaeret.

Attamen supervacaneum nobis videtur hac occasione oblata domini, vel ut praecise loquamur, reguli Hervoiae vitam enarrare. Paucis igitur Hervoiae personam illustrabimus, in qua magnitudinem quandam esse negari nequit. De eius vita autem tractabant Simeon Ljubić in ephemer. Acad. Zagrabiensis, t. XXVI. pag. 74–92 sub titulo: Povjestnička iztraživanja o Hrvoji velikom bosanskom vojvodi i spljetskom hercegu — Disquisitiones historicae super Hervoia magno voivoda Bosnensi et duce Spalatensi; de eius origine disseruerunt Hilarius Ruvarac: О роду Хрвоја великога



Fig. 18.

војводе — de origine magni voivodae Bosnensis Hervoiae in ephemeridum Гласник appellatarum Academiae Belgradiensis, t. XLIX. pag. 45–52, aliique inter quos praecipue Franciscus Rački (in „Rad“, t. II. III. IV, pag. 27–103, VII.) et Aloysius Klaić in „Poviest Bosne“ — Historia Bosniae — vicissitudines ducis exposuerunt. Scripserunt quidem de hac re multi et alii historiographi vetustiores, quorum hoc loco mentionem facere non libet, ut Georgii Pray, Stephani Katona, Lucii, Christiani Engel, Mauri Orbini, Luccari. Eodemque modo hic praetereo libros sive codices diplomaticos Georgii Fejér, Pučić, Kukuljević, Ljubić, Gelcich, qui ut nostra vitae Hervoiae notitia conderetur, pro sua parte adiuverant.

Bosniae regnum regnante Tuertcone, qui 1353—1376 bani, 1377—1391 regio munere fungebatur, plurimum olim valuit et nobilissimum florentissimumque habitum est, donec enormi rerum negligentia, factionum discidiis, diversarum partium studiis in summum venit discrimen libertatis et salutis perdendae. Est quidem hoc bellum factionum contra factiones non tantum historiae Bosniacae proprium, sed totius medii aevi. Deest enim centrale regimen et imperium, potentiores agunt contra reges secundum nomen dignitatis tantum electos, regnat re vera vis naturalis. Sicut in Italia tyranni, ductores, varii principes regni membra in corpora separata diviserunt, ita Bosniae regnum sub Tuertcone variis fortunae vicissitudinibus amplificatum atque unitum paulatim direptum est.

Bosniae singulare imperium paulo infirmius erat, quam ut potentes familias, oligarchos superbos posset devorare. Itaque fieri non potuit, ut ulla fides dynastiae, ulla fides propositae sententiae corroboraretur. Deerat caput ullum regionis, quo universa incolarum multitudo inclinaret; suam potentissimus quisque sedem caput terrae iudicavit. Mores singulorum non communi omnium ratione et voluntate et iudicio reguntur et quae sibi nobilissimus quisque proposuit, ut haec consequatur summis viribus enititur. Tota igitur rei publicae ratio omnisque finis singulis propositus in eo posita erant, ut suam potentiam quam latissime extenderent. Hanc vero rationem cum splendidis iisdemque asperis moribus coniunctam dissolute luxu-

riantem videmus in proxima paeninsula Italiae.

Qua cum epocha consociata est in Italia magnificentissima aetas artium litterarumque, earumque progressus Italiam officinam quandam historiae reddunt, ad quam ceterae nationes talem rationem habent, qualem discipulae ad magistram. Hic igitur Italiae cultus, haecque politia litus etiam Hadriae ad orientem spectans, regiones mediterraneas, campos Histricos luce humanitatis collustravit; qui melius moratus urbanusque haberi voluit, Italiam centralem totius doctrinae auctricem secutus est. Neque efficientia litterarum artiumque regenerationis indolem singularum nationum propriam permutavit. Italus enim mansit sollers Romanus, Bosnensis pauper fortisque montanus, ut iam maiores fuerant. Id genus Bosnenses proceres tam rudes erant, quam montes sunt, in quibus habitabant, nullum sibi praepositum pati volebant, vi et potestati tamdiu tantum obsequebantur, quamdiu earum acerbitatem sentiebant; qua superata denuo erant homines liberi solutique.




Fig. 19.

Bosniaci optimates catholicae religioni non erant addicti, sed omnes fere vel certe potentiores hac aetate erant Patareni (Bogomili, boni Christiani) quos se ipsi appellabant. Sunt enim sectatores religionis, quae naturae totius Slavorum gentis propriae apte conveniebat. Haud pauca omnino erant momenta, quae cum ad singulas Haemi paeninsulae terras dissecandas, tum ad Bosniam dissolvendam multum valebant; inter quae referendae sunt cultus et humanitatis quae tunc erat ratio atque inclinatio propria, religio fidei catholicae omnia unienti repugnans, Hungariae, regni Histrici, attractio, Turcarum vires ad magna surgentes; in quibus omnibus inerat vis secernendi.

Atque hac aetate vixit Hervoia, unus ex paucis Bosniae oligarchis, qui ad extremam usque vitam opes comparatas obtinebant. Is quidem multa peccata committebat, superos flectere nequibat et Acheronta movebat, Turcos in angustias adducebat, erat omnino licet non melior, tamen certe non peior plerisque suorum aequalium. Vides eius robustam, atrocem, superbam, avaram faciem, quasi prae oculis versantem; profecto erat ut aquila, avis rapax quidem, sed potens.

Hervoia erat filius Vukacii Hrvatinić, qui temporibus Bosnensis bani Tuertconis, qui idem postea rex factus est, magna auctoritate nobilis voivodae plurimum in civitate valebat. Atque certum est auctorem huius familiae Hrvatin propinquum fuisse Croaticorum banorum et Bosniae Dominorum Pauli et Mladen ex generatione Subić originem ducentium, qui saeculo decimo tertio exeunte Bosniam occidentalem imperio tenebant. (In originali — datum Scardonae die octavo mensis februarii anno 1305 — nunc in collectione nostra conservato, Paulus Banus Croatorum et totius Bosne dominus una cum filiis Mladino bano Bosniensi, Georgio, Paulo et Gregorio, comitem „comitatus inferiorum partium Bosne“ Hrvatinum cognatum esse appellant.) Qui Hrvatin in partibus quae dicuntur inferioribus Bosniae praepollentem familiam condidit, ex qua Hervoia est oriundus.

Annis inde a 1386 usque ad 1416 Hervoia in omni actione atque administratione rei publicae floruit. Nam sub rege Tuertcone potente institutum post eius mortem ministerio maioris domus imbecillorum Bosniae regum fungentem videmus, qui magis suo, quam dominorum nomine plurimum agebat et aliquamdiu omnes regulos Bosnenses superabat. Cuius potestas ex illa periculosa rerum conversione enata est, quae in Croatia, Bosnia aliisque ad meridiem spectantibus terris mortuo Ludovico I. anno 1382 exstitit et usque ad annum 1408 permansit.

Ut diploma Ladislai regis Neapolitani de dato decimi septimi Iulii anni 1391 — registri Angiovini num. 362, Arch. Neapol. — testatur, Chervoe cum fratre Vuk iam Caroli Durazzi assectator fuit eique gravissima officia praestitit. Cum anno 1392 Ioannes Horváthy generalis vicarius Ladislai nondum maturi imperio filii interfecti Caroli factus bellum nomine virilis sexus stirpis Angiovinae contra iure publico legitimos ex feminino sexu descendentes gereret, voivodam Bosnensem Hervoiam, banum Dalmatiae et Croatiae, pro eius partibus stantem reperimus.

Qua epocha legum vinculis exsoluta una factio alteram seditiosam et rebellantem putabat, omniaque erant permissa. Cui rei testimonio est charta, in qua a Ladislao (cf.

Arch. Neapol. d. d. 15. Octobr. 1392, Reg. num. 363, fol. 158) I. Horváthy et Hervoiae duci haec conceduntur: „quod possitis et valeatis tam universitates, et homines terrarum et locorum dicti regni nostri Hungariae et aliorum .... regnorum sibi annexorum quam alios quoscunque regnorum eorumdem magnates, proceres, comites, barones, personas et homines rebelles nostros ac inobedientes et maleficos quovis alios cuiuscumque gradus, status condicionis existant ad sinum gratiae nostrae recipere eisque et ipsorum cuilibet omnes et singulos excessus, crimina, discursiones, depraedationes, incendia, currerias, cedes, homicidia, disrobaciones et furta publica et privata et alia quaecumque delicta quocumque nomine censeantur; per ipsos et eorum quemlibet aut alium vel alios ipsorum .... usque in diem reddicionis ipsorum ad hobedientiam et fidelitatem nostram ubicumque, quomodocumque et qualitercumque commissas atque commissa ...... remittere."

Duces autem partium Sigismundi, qui Mariae reginae maritus, legitimus erat rex, in meridiana regni parte erant Nicolaus, filius Nicolai de Gara anno 1389 occisi et Ioannes de Maróth. Quarum uterque vir ferreus inrevocabili constantia erat, et si quaeras, quaenam omnino vera fuerit causa horum certaminum dynasticorum, certe implacabilis singularum gentium cupiditas inter se ulciscendi respicienda est. Anno vero 1393 generalis vicarii Horváthy partes in bello inferiores discesserant et Ioanne duce crudeliter morte punito Hervoia inferioris Bosniae partium voivoda a. d. x. kal. Sept. eiusdem anni in castello suo „Zucham" imperio regis Sigismundi Mariaeque se subicere coactus est. (Cf. Fejér: Cod. Dipl. x, 2. 158.)



Fig. 20.

Potentia vero Hervoiae ipsius, quem iam die 13. Iulii 1393 res publica Venetiana cum fratre Venetum et Civem fecerat, (cf. Arch. Aulicum Vienn. Copia dei Commemoriali VIII, 305) Horváthyi calamitate fracta non est. Neque eius deditio vera sinceraque fuit, nam perseveravit Ladislai rebus favere, qui die 4. Iulii 1394 ratificat, acceptat ac confirmat vicarii sui donationes. (Cf. Reg. Ang. num. 363, fol. 187.) Sed praesens auctoritas iuvenilis can-

didati regii nominis ficta tantum et commenticia fuit; his enim dementibus temporibus reges ab urbibus iam non agnoscebantur (cf. Lucii: De regno Dalmatiae l. V. cap. III) et singuli oligarchi regias causas praetexendo suas res persequebantur. Neque aliter fecit Hervoia. Ex positione sua Bosniae occidentalis vix expugnabili auctoritatem Sigismundi convulsit et, ut ex regis incusatione intelligi potest, iam anno 1398 cum Turcis societatis foedus sanxit. (Cf. Fejér X, 2, 563.)



Fig. 21.

His autem annis Sigismundus crudelissimo modo regnavit. Nam ut in Hadriae terris ita in Bosnia eius magistratus ipsi cives paene ad rebellandum adduxerunt. Quae cum ita essent, Ladislai res celerrime corroborari coepta est et cum anno 1402 praefectus classis Aloysius Aldemarisco legatus Neapoli missus in Dalmatiam veniret, omnes obviam properarunt. Supremus voivoda Bosniae Hervoia legato in omnibus adstitit et sicuti vicarius generalis regis Ladislai et regis Bosniae („Nos Chervoe supremus Voyvoda Regni Bosnae ac vicarius generalis principum serenissimorum regum regis Vladislai et regis Ostoya“) seditionis reique fuit causa movens. Cum Priore Auranae Bubek devicit Paulum Bessenyei de Ezdege, banum Dalmatiae et Croatiae, et sic se validiorem esse ostendebat.

Anno tandem 1403 Ladislaus ipse in Dalmatiam venit. Cuius brevis gloria cum toto eventu rerum prospero, qui ei initio contigit, cum Hervoiae ducis nomine artissime cohaeret, cui omnia debet. Cui rei documento sunt litterae Matthei de Sancto Miniato secretarii regii consilii civitatis Florentiae ad dictam civitatem. Ille enim scripsit die 11. Iulii 1403: „applicuerunt huc, die IX. huius mensis, XII magna navigia serenissimi principis domini regis Ladislai cum equis, militibus, stipendiariis, grano, ordeo et aliis ad huius ministerium pertinentibus, quem quidem apparatum opere pretium vidisse fuit. Heri huc applicuit Voyvoda regni Bossine, cui nomen Chervoya, princeps magnus et potentissimus omnium regni illius, qui quidem fuit causa potentissima, ut regnum Dalmatie et omnes

partem Sclavonie ad dominum Ladislaum diverterent. Hic regem expectat cum comitiva maxima. Homo ipse patarenus est, sed datur ordo, ut dominus . . . . . Cardinalis crismate eum confirmet et reducat ad lumen vere salutis et sic ipse eam assentiri videtur (ea) sub spe, ut dominus rex ipsum constituat marchionem in partibus Bossine, prout mihi asserit dominus Archiepiscopus Spalatensis amicus suus et vicinus et mihi pater et Dominus." (Cf. Monum. Vat., t. IV. pag. 611-612. — Archivio storico Firenze IV. et Rački in Rad IV, pag. 58—62.) Iam supra monitum est Hervoiam patarenum fuisse, dico asseclam Bogomilicae fidei, quam tunc maior pars nobilitatis Bosnensis necnon plerique patriciorum urbium Dalmaticarum confitebantur. Hervoiae autem confessio huius fidei Hvalji Bogomilo etiam „Testamento" ei dedicato temporibus Djed (Superintendens Bogomilorum) Radomiri anno 1404 (Testamentum hoc in bibliotheca reperitur universitatis Bononiensis — Fr. Rački in Starine I. pag. 92—109 in additamentis ad historiam Patarenorum) comprobatur. Sed contraria inter has duas religiones, quae in publico infensissima videbantur esse, privato hominum convictu mitigari potuisse ex epistola supra citata cognoscere licet; nam legimus Hervoiae duci cum Ioanne de Aragonia, archiepiscopo Spalatensi, amicitiam intercessisse. Quae res eo facilius fieri potuit, quod Bogomilorum dogma, quamquam perfectis suis durissimam vitae rationem iniunxit, tamen in viros potentes, qui eius doctrinam sequebantur, haud parva erat quasi indulgentia. Sed alia sunt, quae de huius viri moribus ex epistola illa Matthei de Sancto Miniato enucleare possumus. Eius fervor fidei anno certo 1403 sincerus firmusque fuisse nullo pacto putandus est, praesertim cum pretio marchionatus Bosniae ad catholicam religionem transire cogitaret. Quid vero ille secretarius sub voce marchionatus intelligi voluit? Vicariatus nequaquam esse potuit, nam vicarius Neapolitani regis publica auctoritate constitutus Hervoia iam multo ante fuit; scribit quidem idibus Maiis anni 1402 sub arce Tynniniensi sibi nonnullas donationes pro civitate Sibenicensi



Fig. 22.


Fig. 23.

factas confirmans: „Hervoye, regnorum Rascie et Bosne ac in partibus Dalmatie et Croacie .... vicarius generalis.“ (Originale in bibliotheca musei nationalis Hungarici, receptum in collectionem Nicolai Jankovich.) Nos vero sub marchionatu nihil aliud intelligimus nisi Bosniae partes Hervoiae duci iure publico velut beneficium attributae; id quod princeps ille potens reapse adsecutus est. Atque multo plus impetrasset, nisi Ladislaus tam timidus fuisset. (Scribit Mattheus de Sancto Miniato die 30. Iulii 1403: „rex iste mihi satis pavidus videtur.“ Mon. Vat. t. IV. pag. 615.) Diadema quidem matterculae illae deliciae die 5. Augusti eiusdem anni Jaderae acceperunt, sed maiorem animi fortitudinem nunquam praestiterunt.

Die 13. Octobris Ladislaus Spalato in urbe versatus est, die vero 20. Tragurii subinde Chervoe cum comite Cetine (Nelipić) et numerosa comitum Croatorum societate in Dalmatiam venit, honorificeque ubique receptus a Ladislavo dux Spalati et proximarum insularum creatus fuit. (Lucius op. cit. V. pag. 261. — „Dono a Hervoya la città di Spalato con il titolo di duca insime con le isole di Corzola, Lesina, Lissa, e Brazza, tutto chè queste quattro avesse primiriamente donate ad Alvise e Guido Metofari nobili zaratini in ressarcimento del fisco, che per l'aderenze che avevano con Carlo padre d'esso Ladislavo avevano da Sigismondo patito.“ Paulo de Andreis: Storia della città di Trau. MSS. pag. 114 b.) Hervoia igitur Ladislai gratia dux electus est; quae res inter 13. Octobris (probabili coniectura die 19. Octobris secundum Andreis op. cit. Chronicon) et 16. Novembris anni 1403 facta esse debet, cum res publica Ragusana in instructione legatis suis data Hervoiam iam ducem appellaret. (Cf. Gelcich-Thallóczy: Diplomatarium Ragusanum, pag. 131.) Sed quaerendum est num Hervoia hanc dignitatis accessionem adeptus amici sui Ioannis archiepiscopi Spalatensis opera catholicam fidem amplexus sit; id quod re vera fieri potuit, quamquam in Hvalji evangelio bogomilo, cuius iam supra mentionem

fecimus, annus 1404 adscriptus est. His enim paucis vestigiis exceptis nihil fere est, quod eius ardori fidei lumen adferat. Neque hoc missale, quod certe Hervoiae causa confectum et, ut veri est simile, ab Almissanis Franciscanis, qui sub Hervoia patrono fuerunt, ei oblatum est, argumentum ad Hervoiae fidem catholicam comprobandam adferri potest. Is quidem haud dubie tam opulentus fuit, qui duas religiones vel potius nullam profiteretur, atque cum vir esset rerum civilium peritus, illis momentis usus est, quibus reges constituebantur et removebantur, atque modo uni, modo alteri confessioni studebat. Cum vero dux esset Spalati, quae civitas tota fidei catholicae studiosa erat, nequaquam acerrimus „Bogomilus" esse potuit. Adde quod catholica ecclesia ad Dalmatiae oras sita omnino validior fuit, quam ut rationi „cuius regio, eius religio" cederet. Et contra eius propensum in catholicam fidem studium, quod sine dubio anno 1403 statuendum est, post ducatum qui consisteret, confirmaretur necesse erat.

Hervoiae ratio publica anno 1403 plane erat prudens et politica et si totam eius actionem comprehendimus, dubium esse nequit, quin idem usque ad mortem suam dominus esset arbiterque civitatum, quae in regione Haemi ad occidentem versa constituebantur. Neque solum Ostojae regis Bosniae, quem anno 1404 regno spoliavit, sed Stephani Tvartkonis II. (1404—1408) etiam fata semper quodammodo ab artibus factisque Hervoiae ducis dependent. Spalati in oppido eius vices gerentes sive subvicarii residebant, ipse copias et magnificam aulam suis fructibus alebat, nuntios constituebat, arma equosque amabat, nummos cudebat, magnarum pecuniarum facultatem habebat (cf. chartas in Archivo Cap. Spalat. — „Rector et iudices commune civitatis Spaleti" — die XVII. Maij anni 1403, originale in Archivo Principum Eszterházy, Repert. 42, fasc. B. 14. — loquuntur in civitate vetere esse turrim Comitis Nelipcij et de turri aut terra (tr.. m terram, turrim?) domini Hervoiae. Traditio enim etiam nunc narrat de quadam turri Hervoiae.) Venetiae argentaria non secus ac ceteri eiusdem ordinis homines usus. Deinde his temporibus intimam societatem cum Sandal Hranić, poten-

tissimo voivoda Bosniae superioris, vel ut aliter dicam partis meridianae habuit. Sicut enim Hervoia septentrionales fines obtinuit, Sandali auctoritas in Albaniam usque, ut hodie appellatur, pertinuit. Inter quos ex alternis causis modo amicitia modo graves inimicitiae intercesserunt, quamquam negandum est inter ambos unquam perfectum consensum solidamque unanimitatem fuisse posse. Nam Hervoia fortis quidem, sed asper eques fuit, Sandal vero levis gratusque baro, ita ut dicere liceat in eorum diversa indole septentrionem et meridiem inter se contrarios in corpus coaluisse. Sed ad annum supra memoratum Hervoia sine ulla dubitatione maiore auctoritate eminuit.

Anno 1408 lux quaedam Sigismundo in regione australi videbatur oblata. Neapolis et Hadriae loco Budensis regia arx caput principum in occidentali Haemi parte habitantium electum est. Et Hervoia et Sandal Dobor urbe atroci oppugnatione capta in nomen iurarunt regis omnium cladium obliti, quas exercitus et consilia publica per quindecim annos (1393—1408) ducis Spalatensis machinationibus acceperant. Sigismundus, qui rex alias duro animo esse solebat, Hervoiam benignissime recepit, qui Ladislai partes capite destitutas deseruit, ipseque Budam contendit. Rex Hervoiam ducem gratiis honoribusque cumulavit eique Spalati possessionem cum ducatu confirmavit ac „quam plura Castra et possessiones nostram in signum sincere dilectionis ipsum in Compatrem nostrum assumendo sibi pro singulari honore, quoddam clenodium scilicet signum Draconis, quod nos una cum Serenissima Principe Domina Barbara regina Hungariae etc. conthorali nostra carissima et quampluribus mundi principibus nostrorumque regnorum baronibus nobilibus praefectis in signum indissolubilis societatis gestare solemne duxeramus conferendum". (Cf. Lucius op. cit. V. pag. 268 in Dipl. Sigismundi imp. et regis, in Pulsano a. 1413 datis.) Quae laudis insignia sibi eo maiori honori esse Hervoia duxisse videtur, cum huius draconis insignis praeter reges et nobilissimos principes



Fig. 24.




Fig. 25.

nemo particeps fieret. (Cf. Arch. aul. Vienn. Reichsreg. E. pag. 201, F. 83 v, I. 53 v.) Deinde sicuti iam mentionem fecimus, Sigismundus etiam Ducatum Spalatensem ei confirmavit. Itaque maxime dolendum est, quod neque Ladislai regis Neapolis neque Sigismundi charta reperiri potest. Omnis quidem opera nostra ad chartam indagandam conlata ad irritum cecidit. Sed fieri nequit, quin hoc loco de tempore missalis definiendo nostram coniecturam proferre audeamus. Equitibus enim huius draconis insignis licuit in sua insignia gentilicia notam draconis recipere. Neque putandum est Hervoiam ducem, qui hunc honorem plurimi aestimaverit, id genus decorationem suae gentis insignibus non vindicasse et petivisse. Cum vero insignia draconis die 12. Decembris 1408 statuta sint, (Arch. aul. H. 135 v. Reichsreg.) ex magna insignium gentiliciorum imagine missalis colligere posse nobis videmur, cum in ea draco desit, missale ante annum 1408 scriptum esse et ad illud vitae spatium pertinere, quo Hervoia cum Ladislao amicitiae fide coniunctus esset.

Sigismundi triumphus et Bosnensium magnatium gratia reconciliata una tantummodo re turbata est, quae in posterum tempus gravissimi erat momenti. Ladislaus enim, postquam vindicias suas perditas esse vidit, Iaderam centum milibus ducatorum, ut vocantur, Venetis vendidit. Qua ratione res publica provida in ora orientali maris Hadriatici rursus constitit et dominos potentes inter se certare passa exspectavit, dum quasi fructus totius Dalmatiae expugnandae et recuperandae maturesceret.

Hervoia per aliquot annos quietus fuit summam vitae fortunam consecutus. Tum vero Sandal Hranić Hervoiae senescenti se praeponere coepit. Itaque inter se obtrectarunt aemuli gratiae regis, qui anno 1410 nomine Romani imperatoris ornatus est.

Anno 1412 Sigismundus et Wladislaus rex Poloniae Lublina pactione confecta tempore pentecostes Budam se contulerunt, quae urbs tunc Sigismundi cura nodus et con-

ventus Europae ordinis equestris facta est. Ludi festi apparabuntur, quibus equites Europae mediae et meridianae intererant. Atque equites Bosnenses non ultimum locum inter ceteros obtinebant. Qua occasione data hi domini, dominatores, principes Budam convenerunt, ut ex indice lingua Germanica composito, qui hodie in Arch. aul. Vienn. (Rep. XVI. Publ.) adservatur, comperimus:

„Hie stend nach ain ander di herren dy ze ofen pey dem hof gebesen sind, anno etc. duodecimo:

Künyg

Sigmund Römischer Kunyg und z(e) Vngern
der künig von polan
der künig von Bossen (Tuertco II.)
der disspot herr in Sirfey MM (phferden) (Stephanus Lazarević, despotus Serviae cum 2 milibus equitum)
der karboy von Krabaten (Comes de Corbavia)
ain herczog von Türkey
ain herczog von Spalet (Hervoia)
herczog Ernst von österich
herczog Albrecht von österich
herczog ludweyg vom Bryg (Ludovicus II.)
herczog heynrych von lewben (Luben)
herczog christ sein sun (Christianus aut Christophorus ?)
herczog Serner von Nölls (Dux Senior de Oels Conradus III. sive eius filius)
herczog hans von Raczporn (Ratibor)
herczog von Teschin
herczog von Tropoy (Troppau)
herczog Rasymky (Henricus IX. dux de Glogau et Crossen, ideo Crossinski)

der Zandal

zwen grafen von vrsyn (Comites de Blagaj)
zwen grossgraffen von vngern
zwen graffen von Zyl
Ain graf von Bossen (Comites de Sz. György et Bazin)
graff albrech von swarczenburg
der graf von Maÿdwurg herr zu hardekk
Graf hawg vom heyligen perg
Graf Eczel von Ortenberg
her hainreich herr zu plaw
der von Wallsee
des Kunygs Marschalk aus Catthrey (Catthrey ?)
der legat von Rom

der Erzpyschof von Gran
der Byschof von Agram
der Byschof von Fünffkirchen
der Byschof von Krakaw
der Byschof von Tryend
der Byschof von Ryg (Riga)
der Byschof von Passaw
der Byschof von Nappeln (Neapoli in insula Cypri ab anno 1390 Bartholomaeus)
der Byschof von Syrfey (Servia)
der Marschalk von prewssen
der Chomentewr von Mellwingen
der Chomentewr von Kirspürg
der Chomentewr von düraw
zwen chomentewr von dewtschen lannden
drey herren von perner (Verona)
zwen herrn von padaw
des grafen pottschaft von Sofoy (Savoya)
der Mürrijanns (Méri János?) unt M pherden
Item von sust mechtig poten, von Engellandt — von Frankreich — und von anderen Kunygen — und stenten von Welschen — und dewtschen lannden. — Hoc est verum."
(Eberhardus Windeck in Historia imperatoris Sigismundi cap. XXVII de congressu Budensi haec dicit: „Also zoge Konig Sigmund gein Offen vnd lis do beruffen ein grossen Hoff, do wart auf dem Hoffe: Konig Sigmund selber, Fladislawe konig von Bolant oder Krocowe, Murrolt — Ioannes de Maróth, qui solummodo banus de Macho, dominus in Usora fuit. — Konig zu Bossen ecc. . . . . ." Aliud manuscriptum in archivo Frankofurtensi — Wahltag-acta t. I. de dato 22. Maÿ 1412. Cf. apud Fejér: X, vol. 5, pag. 246–248, Aschbach, Geschichte Kaiser Sigmunds I., 441 — conservatum: „Item ist gar vil fürsten Heren Ritter und Knechte gewesen zu dem hoffe zu Oven inn Ungern, mit nemen III konige, III heuptlude drier Lande. Dispot der Servoy (Serviae, Hervoia?). Item XIII Herzogen, XXI graven, XXVI Herren on die ungrischen und XX—C Ritter, III—m Knecht geschetzt, ein Kardinal, ein Legat, III Erzbischof, XI andere Bischoffe, LXXXVI Phisser und Bosimer, XVII Hervolt und uf XL—m pferde geschetzt an allen Arten. Item von XVII landen sprache und lüte, als Ungern, Beheimen, Bolander, Pruszen, Ruszen, Litawen, Krichen, Dattaren, Dürken, Walachien, Boszen, Sirsien, Winden, Walhen, Dutschen, Franzosen,

Engelsche, Albanesen, Abrahemsche lüte vom heiligen Grabe, und sust vil heszlicher Heiden mit langen Berten, grossen Beüchen (Bäuchen) hohen hüten und langen goltern. Auch wart der Hoff VIII tage virtzogen als er sollte gewesen sin, und ein Ritter usz der Slesien genannt her Nemsche hat das beste gethann und ein Knecht usz Osterreich dem sin zweÿ virdeckte Rosz worden mit güldenen und silbernen Huvÿse.“)



Fig. 26.

Eadem occasione data chronista Polonorum ornatissimus Ioannes Dlugos in Hist. Polon. (l. XI. editionis Ignatii Zegota Pauli, Cracoviae t. IV, pag. 140–141, 1877) eodem, ut veri simile est, fonte usus haec memoriae tradit: „Rex Bossensis Charwen (Carwen, Cod. Rozr. Herwoia) sua et suae consortis praesentia ludum hunc celebriorem effecerat, cum et sui milites altae et procerae staturae, strenui et animosi in pugna spectarentur.“

Hoc loco Sigismundus rex fortem et egregium Hervoiam ultima vice vidit; qui certe praecipuo honore ornatus est. Sed, ut ex chartis apparet, Sandal „fidelis noster dilectus“ appellatus est, cum Hervoia paulatim „capitalis noster infidelis“ fieret.

Quibus solemnibus post Hervoia certe non mutatus est neque necessitudinem, quam iam ante cum Venetis habebat, resolvit, cum magnates, qui Sigismundo semper fideles manserunt, in Hervoiam iam diu propter acceptas iniurias infestis essent animis. Atque Hervoia non minus quam „gran vaivoda di Bosnia“ Sandal (Arch. Venet. t. X, reg. 164) suos legatos agentesque habuit Ragusii, Venetiae, in Bosnia, qui non solum vice mandatorum publica fungebantur, sed haud raro etiam eorundem causas, etiamsi saepe commodis dominorum feudi repugnarent, diligenter persequebantur.

Neque difficile fuit suspiciones Hervoiae infidelitatis investigare. Nam Sigismundus ei semper parum fidei tribuit et amicos benevolos superbus Bosnensis habuit nullos. Amicitiae vero et propinquitatis vincula tamdiu tantum durabant, quamdiu potens erat. Paucis quidem, sed veritati convenienter casum Hervoiae ducis describit Traguriensis chronista Andreis (MSS. cit. pag. 121 a b): „In questi tempi (1413) successe la

caduta del duca Hervoje, ch' essendo nel primo grado d'onore appresso sua maestà d'Ongarie, vole col dimostrarsi superiore a qualunque altro, esser eguagliato a più bassi e dichiarato ribelle, esser con infame esiglio bandito." Ii autem, qui eum ex altissimo dignitatis gradu praecipitarunt, primum aulici eius adversarii fuerunt, deinde Sandal obtrectator, cuius gratiam popularem aegerrime ferebat et quem Sandalium „una cum aliis eiusdem regni Bosniae et aliorum regnorum nostrorum fidelibus in regno Rasciae apud Illustrem Principem Despotam (Stephanum Lazarević) dictae Rasciae fidelem nostrum contra saevissimos Turcas et aliarum barbaricarum saevarum nationum gentes Crucis Christi persecutores et blasphemantes, qui partes dictae Rasciae hostiliter intraverant, in nostris servitiis fuisset constitutus, iidem H. congregatis sibi certis complicibus et armorum gentibus dicti Zandalii namque castra et quamplures possessiones contra edictum et prohibitionem nostrae Maiestatis hostiliter invadendo expugnavit, castrorum eorumdem homines, divino et humano postposito timore, necando crudeliter et insuper malum malo accumulare volendo, per certos literas scribebat Turcis et ita se in notorium rebellem regni faciebat." (In dipl. cit. Sigismundi de dato 1413.) Quae vis Hervoiam praecipitantem quasi impulit.

Sigismundus rex his temporibus religionis turbis Constantiae vehementer erat occupatus; quo absente Barbara regina imperium tractabat, quae simulac hic tumultus a Hervoia concitatus est, (ineunte Iunio anni 1413 Horváth M.: Magyarország történelme — Historia Hungariae, t. II, 455) nobilitatem ad arma vocavit. Hervoiae duci inimicissimi Paulus Chupor de Monoszló, Ioannes de Gara ac Ioannes de Maróth ultro vim illi inferre properarunt. Kalendis Augustis eiusdem anni a Sigismundo damnatus vere proscriptus et bonis suis multatus est. Quae proscriptio cum palam fieret, omnes a Hervoia defecerunt. Kalendis Iuliis 1413 Ragusa haec per litteras significat: „Spalatenses ab obedientia et iugo ducis Hervoiae, cui iam diucius stabant submissi, se his prope elapsis diebus commendabili quodam modo viriliter subtraxere, sub sacreque maiestatis vestre alarum umbram confugientes."

(Cf. Dipl. Rag., pag. 221.) Iam die 13. Iulii legati rei publicae supra commemoratae in insulas Corcyram nigram (Curzolam), Pharum (Lesinam) Bracchiamque (Brazzam) mittuntur, ubi iussu regis regium vexillum statuerunt (op. cit. pag. 222) et quatuor diebus post eidem rei publicae administratio ipsa commissa est.

Quid tum Hervoia faceret? Possessione sua opibusque privato auxilium inde petendum erat, ubi id reperire potuit. Nulla neque religionis neque rei publicae opinione praeiudicata ductus idem fecit, quod Franciscus I. Gallorum rex, cum centum fere annis post contra Carolum V. imperatorem cum Suleymano societatem iniret. Nihil ex Serbiae fatis dedicit et ut rex montium, ut ita dicam, praesagientis animi divinatione caruit, qui praeciperet Turcos in patriam terram vocatos nunquam foras extrudi posse. A Venetis enim, quos ad auxilium vocabat, repulsus est, non Sigismundi quidem causa, sed quod res publica ipsa possessiones Hervoiae ducis maritimas affectavit. Sigismundus ab Hungaria procul aberat, Barbara regina male regnabat, exercitus Hungarici vix erant expediti. Neque mirum est, quod dux proscriptus his causis commotus et fretus eis Bosniae occidentalis castellis, quae in eius possessione permanserant, cum Turcis, quibus inde a Muhametis I. incursionibus cum Primorje (Dalmatiae maritima parte meridionali) et Bosnia australi commercium erat, se coniunxit. Iam aestate anni 1414 Turcorum copiae Bosniam incursionibus vexarunt et praedas congestas in regiones suas miserunt, cum imperator rex procul commoraretur.

Hervoia Almissa. in munitissimo castello (Memoriam — quaerentes in Almissa — nullam invenimus, ruinas castelli antiqui quaedam vestigia dominationis Venetae ornant) bellum parat ad recuperandas possessiones suas. Cum vero Turci tunc quidem non tam Bosniam ipsam peterent, quam regiones Savo adiacentes, etiam finitimi Hungariae bani ductoresque copias compararunt. Atque quamquam Barbara regina populum ad defendendum regnum convocavit, tamen factum est, ut confines tantum militum catervae conscriberentur, id quod ex nominibus ducum cognosci potest. Bani

enim Paulus Chupor de Monoszló Slavonicus, Ioannes de Maróth, Ioannes de Gara, frater Palatini, cum Croatis, qui in fide regis perseveraverant, manus suas contra hostem duxerunt. Die 20. Februarii 1415 magnarum Turcicae gentis copiarum adventus exspectatus est, sed quo modo Turci vocati sint aliisque de Hervoiae actionis rebus pauca tantum accepimus. Ragusam in fide et officio Sigismundi permansisse constat quidem, prorsus vero incerta sunt, quae de hostium motibus narrantur. Mensis Iunii die 18. (Dipl. Rag. pag. 249) res publica refert: „Isto tempore in contratibus Bosne fuit unus caporalis Theucer, nominatus Zech-Melech, qui stetit in Bosna plus quam tribus mensibus, faciendo raubarias in Charovacia et aliis locis. Nullum enim gencium obstaculum habuit." Pro nunc pauci Theucri remanserunt in Bosna cum rege Tuertcone. Habebantque Ragusani famam „qualiter unus caporalis nominatus Isach Theucer congregavit ad Scopiam gentes Theucras, qui his diebus expectatur in Bosnia (iturus) pro eundo ad, „raubarias" versus „ponentem" (ergo Dalmatiam) extra


Fig. 27.

regnum Bosniae, in quo regno, quia tributum solvunt, nil depredantur." Ostoja rex pulsus, antecessor actualis regis Tuertconis in suis fortalitiis stabat non audendo sumere fiduciam Theucrorum aliquo modo. Dominus voivoda Sandal se bene habuit erga fidelitatem regis Sigismundi et exiguit se a Theucris cum non parvis donis. Despotus Rasciae in pace stetit. Talia rerum adiuncta erant mense Iunio 1415.

Hervoiae arma salitraque Veneciis emebat, et bene armatus fuit. Die XVI. Iunii Ioannes de Conhara (de Konyár) cum multis gentibus — scribunt Ragusei — Hungaricis appulerant in Usora subtus castrum Dobui (Doboj).

Pugna inter copias Hungarorum et Turcos Hervoiaeque gentes intra spatium XVI. Iunii et XVIII. Augusti accidit in banatu Usora, territorio banatui Machoviensi addito in valle forsitan Sprece, quia famam primo mercatores de Srebrenica ferebant Ragusium. Descriptionem huius Hungaris infelicissimae cladis dat Ioannes de Thurócz, refert chronici sui cap. XVI.:

„Collatis igitur signis bellicis et tubarum vocibus, utraque ex parte, magno clangoris in sonitu taratantarizantibus; uterque hostis, mutuam in ruinam sitibundus, bellum ingreditur et in magna virtute lanceatorum, viribus proeliatur totis. Clamor ingens exuberat, franguntur lanceae, et in earum fractione multi deiiciuntur ab equis, cadunt hinc inde cadavera mortuorum parte ex utraque. Sed quis Bosnensium astutiae se praeferre valet? Cum Hungarorum vires illorum potentiae eo in certamine multo superiores cernerentur, mox illi montium per culmina, qui ex eis ad id constituti erant, stantes ita docti, Hungaros fugere proclamabant. Haec vox Hungaris edidit confusionem. Nam cum proelio viriliter insisterent, hoc rumore audito partem ipsorum fugae datam arbitrati campum deserentes terga verterunt; propter quod et magnam stragem et hostibus praedam ibidem dedere. Nec duces ipsi tanti periculi expertes fuerunt: qui alii ibidem capti, alii peremti. Ioannes enim de Gara captus et dire vinculatus post multos suae captivitatis dies libertatem potitus, pondus ferramentorum ingens, quibus vinctus erat, in monasterio de Batha ad gloriam pretiosissimi sanguinis Domini Redemptoris nostri pro illius, quod ibidem voverat, redemptione vota futuram ad memoriam reliquit. Ioannes vero de Maróth, pro sui libertate inimico magnam auri summam fudit."

Res publica Ragusana de eodem eventu die XVIII. retulit regi Sigismundo. Die XXVIII. Iunii — scripsit res publica — Ioannem ductorem cum multis regis gentibus properasse Usoram, nunc autem de gravissimo conflictu aliter sonat relatio: „ipsi tamen Hungari pauci fuerant, nullo respectu quantitatis Theucrorum, quanti tantique fuerint, dolendum est." (Dipl. Rag. pag. 251.) Credimus veritatem esse in medio: nec Thuróczi, nec prima notitia rei publicae valet generaliter: quia bani tantum cum regalibus advenerunt banderiis et etiamsi auxilia aderant Bosnensium quorundam, exercitus itinere fatigatus partim in campo multa invenit obstacula, partim quia cum hostibus in patria propria dimicabat multis adversitatibus vexatus, pugna inferior succubuit.

Hervoia tandem vicit. Exitus belli fuit voluntas consensusque Bos-

nensium contra regnum Hungariae. Etiam Sandalus inivit pacem cum Hervoia. Potitus est terra Hum, quae usque ad annum 1435 in eius dicione manebat. (Archivum principum Eszterházy, Rep. 42. F. G. num. 52.) Pro momento perdiderunt Bani Hungari potestatem tota Bosnia.

Hervoia victoriam non diu superavit; sed videre potuit se tales in patriam socios vocasse, qui et ipsum et obtrectatores suos subigerent seque ita rebus immiscentes firmum et morale fundamentum dominationis sibi pararent.

Adversarios igitur ultus est, id vero pretio calamitatis posteris illatae.

II.

De imagine insignibusque Hervoiae ducis.




Fig. 28.

Hervoia robusto habitu horridaque indole fuisse putandus est, qui aspera et gravi voce praeditus delicatis aulicis talis fortasse visus est, quales olim barbari rauce horrideque loquentes in Caesarum aula. Qua de re chronista Ioannes de Thurócz refert Hervoiae iurgium cum bano Paulo Chupor de Monoszló commemorans (cap. XVI.): „Nam cum perfidiam ante hanc dux ipse Herwoya, regi Sigismundo obedientiae iunctus officio, eiusdem curiam frequentaret, tum vita, tumque regimine morum, brutalis cerneretur, ipse Paulus banus, illum ludibrio habens, dum illi obvius fiebat, dissolutus in derisum, mugitu bovino, pro salutationis veneratione dignitatem illius deturpabat. Sic et ipse dux Herwoya, cum idem Paulus banus, qui in proelio Thurcorum ope anno 1415 in banatu Usora commisso captus est, ab ipso, vestimento dictae pellis bovinae honoratus fuisset, aiebat: qui in forma humana voce bovis instar utebaris, utere iam et forma et voce eiusdem.“

Sed finem faciamus disserendi de viri illius moribus rebusque gestis.

Cuius personae insignisque imagines missale duabus paginis exhibet. Staturae enim simulacrum conspicitur pag. 253 b codicis (v. fig. 18), cum pag. 253 a. S. Michaelis pictura etiam iterata reperiatur. In extrema pagina missalis i. e. 254 a cuius pars aversa vacua mansit, insignium sive armorum imaginem videmus (v. fig. 30).

Hac occasione oblata gratias agimus summas V. D. Quirino Leitner ab aulae consilio, qui nos in explicando vestis more sagacissimo iudicio adiuvit.

Hervoiae imago huic editioni adiecta praebet ducem Spalatensem equestri habitu usum, quo Itali domini saeculo decimo quarto exeunte se vestire soliti sunt. Ex specie exteriore, ut ita dicam, si ab armatura equi discedas, vix suspiceris illum Slavicum principem fuisse; nam neque in veste neque in thorace rationem quandam Slavicae gentis cognoscas. Quae res facile explicatur, si reputamus Hervoiam ducem eum vestimentorum morem esse secutum, qui in aulis dominorum feudi regum Hungariae Neapolisque florebat.

Simulacrum ipsum licet typicam rationem eius aetatis, cui ortum debet, prae se ferat, tamen ab usitata forma quibusdam rebus discrepat, quae non tam ad artificis cogitationem privatam quam ad impetum eius ipsius, qui depictus est, referendae sunt.

Hervoiam ducem videmus thorace indutum omnibusque dignitatis suae attributis ornatum, sed sine casside. Dux enim re vera id egisse videtur, ut facies sua, quae ab aequalibus vix iucunda describeretur, in simulacro quodammodo pulchrior evaderet; quod ut fieri posset, cassidem deesse oportuit.

Hervoiae lineamenta oris demonstrant pictorem communia proprie reddere in animo habuisse; sed ad subtiliorem Hervoiae descriptionem artifici ingenium non suppetebat.

Dux secundum illius aetatis consuetudinem crinibus in vertice compulsis utitur supra aures desectis involutisque. Pro casside rubro candidum capellum agraffa et tribus ardeae pennis ornatum gerit.


Fig. 29.

Dux secundum illius aetatis consuetudinem crinibus in vertice plane compulsis utitur, supra aures desectis involutisque. (De capillorum habitu



Fig. 30.

anni 1380 in chronico Limburgensi hoc habes notatum: tunc mos erat, ut neque cincinnos neque cirros capillo alligatos gererent, sed domini, equites, famuli crinibus praecisis vel cirris ut dicuntur flexis utebantur super aures tonsis.) Pro casside rubro-candidum capellum agraffa et tribus ardeae pennis ornatum gerit. (Chapelus vel prisca franco-gallica lingua chapel, medio aevo capitis tegumentum erat viris feminisque acceptum, quod in modum coronae vel tiarae ex duabus materiis discoloribus factum apud ordines maioris dignitatis agraffa et pennis ornatum erat.)

Thorax ipse quamquam praecipuis eget notis, tamen optime morem loricarum, qualis posteriore parte saeculi XIV. fuerit, significat; nam illa erat aetas, qua transitus fuit ad perfectum thoracem laminosum insequentis saeculi. Neque hic diversae thoracis partes excepto brachiali superiore inter se sunt coniunctae, sed singulae fibulis subnexae vel haspis ad corpus adstrictae sunt.

In heraldica chapeli, quibus etiam nomen fasciae turbineae („Bund") est, ut coronae foliatae aut tegumenta propria (insignia cassidis) sunt aut ligamenta tegumenti in cassidis vertice necnon inferior margo cimerii, id quod in casside clausa Hervoiae armorum cernere licet. Sunt autem in insignibus earum potissimum gentium usu recepti, quae in Dalmatia et in Hadriae litore ad orientem vergente florebant.

Omnes vero corporis partes, quae, cum moventur, extensionem vel contractionem musculorum desiderant, ut collum, venter, brachiorum commissura genua etiam lorica cataphracta se facile applicante contectae sunt, cubiti tuberibus cum conchis super thorace subnexis, necnon patellae et poplites item tuberibus cum conchis cooperta sunt. Humeri impositis orbibus firmati sunt. Anterior pedum pars bracas (Pruech vestimentum est huius aetatis proprium, quod ex una tela confectum crus pedemque velabat) in formam tibialis desinentes praebet; quae, si eques totus erat armatus, aut calceis squamosis vel ferreis velabantur. Sed squamatos fuisse calceos veri est similius, praesertim cum etiam digiti digitabulorum squamosi sint. Aurea calcaria rotalia super summum pedem alligata sunt.

Apparatus equi tanta est simplicitate, ut haud multa memoratu digna videantur esse. Ex more illorum temporum formata est sella equestris reclinatorio inflexo instructa, rarius comprehenduntur gemina sellae cingula et stapiae in modum trianguli factae. Sat notabilis et quae vix occidentalem rationem prae se fert est loramentorum posterior pars atque mira etiam videntur capitis ornamentum cum loris super natum tractis et ratio equum simplici fune frenandi, cum oreae in Germania iam a superioribus medii aevi temporibus ad equos bellicos frenandos adhibitae essent, sed circiter exeunte saeculo quarto decimo quo tempore hic codex ortus est, vulgo oreae una cum fune in omnium usum venissent. (Exemplum equi fune solummodo frenati, quod eiusdem est temporis, monumentum Bernarbonis Visconti nobis praebet, quod sibi ipse ante mortem 1354 ponendum curaverat. Quae statua equestris nunc quidem in museo monumentorum lapideorum Brerae Mediolani adservatur.)

Quod vero ad arma, quae Hervoia gerit, attinet, in imagine gladius ipse non conspicitur, sed balteus tantum; forma gladii autem brevi equitum gladio in cimerio armorum respondisse putanda est.

Digna quae commemoretur est hasta cum vexillo alligato. Ius vexillo utendi nisi principibus liberis suique potentibus plerumque nemini erat; ius erat imperii quasi praecipuum vexillum in castris vel in turri proponere. Signum vel vexillum principibus domi militiaeque praeferebatur neque se cum his dignitatis signis pingi neglegebant. In hoc quod videmus simulacro Hervoia apparet paratus ad adgrediendum et vexillum ut lanceam clipeo impositurus.

Est autem bellica actio, quae cum reliquo apparatu vix congruit et ad illius temperis typicum pingendi genus referenda est. Eadem enim depingendi ratio non solum in iis sigillis occurrit, quae eiusdem atque hic codex sunt aetatis, sed in multo etiam antiquioribus sigillis equestribus liberorum principum. (In equitum sigillis vexillum submissum ex ornamenti ratione ideo adhibitum esse videtur, ut vacua area super caput equitis vexillo fluitante expleri posset; id quod forsitan etiam animo artificis, qui Hervoiae imagi-



nem depinxit, obversatum sit. (Cf. C. de Sava, Sigilla principum Austriacorum, in comment. centr. commissionis, t. IX., XI–XIII.)

Nunc vero rem heraldicam ipsam adgrediamur.

Fig. 31. Scutum, cuius area argentea est, in capite fila gemina rubro colore exhibet; infra conspicitur erectum gladii brachium rubore vestitum, quod ferreo articuli ventilabro et digitabulo instructum est; gladium obliquum ad sinistram vibrans, a sinistra rubrum leonem gemina cauda praeditum exhibens.

Cassidi clausae serratum rubro-argenteum et auro circumsutum tegumentum est et argenteo-rubrum diadema tortile.

Ornamentum cassidis invenitur gladii brachium rubore vestitum ita, ut in scuto.

Hoc est insigne illius Hervoiae, ut inscriptio testatur: „arma ducis Spalatensis“; quod cum ducali dignitate possessoris cohaerere manifestum est. Insigne igitur, quod conceptionem, operis perfectionem, stilum si respicias, optimis illius aetatis adnumerari potest, illud est, quo Hervoia sicut supremus voivoda regni Bosniae ac vicarius generalis regis Ladislai utebatur. Dolendum est, ut iam commemorabatur, quam maxime, quod diploma Ladislai, regis Neapolitani, reperiri non potest; brachium enim cum gladio vasallum regis indicat, qui fideli suo gladium attribuit, in occidentali doctrina insignium pro symbolo ducalis dignitatis habitum.

Hoc vero insigne illud esse, quod duci Spalatensi donatum sit, documento est, quod signum familiae ducis Hervoiae, dico signum gentis de Hrvatin, prorsus aliud et ab hoc diversissimum fuit. Hanc autem observationem non minus nummi ducis Hervoiae testantur, quam insignia in hoc codice reperta et ad litteras exornandas adhibita. Nummorum autem nostri ducis duo sunt genera. (S. Ljubić: Opis jugoslav. novaca. Descriptio nummorum slav. merid., Zagrabiae 1875, tab. XVII, num. 19–27, necnon apud J. Érdy: A régi szerb és bosnyák pénzek. Veteres nummi serbici et bosnenses, et Nani: tab. XVIII, num. 23.)

In illo, quem primum citavimus libro exquisito sub num. 19 et 20 in parte nummi insigne impressum cum inscriptione continente: MONΘTA ·

ahθRVOI × DVCIS × SPALθTII idem insigne reperimus, quod codice est comprehensum hicque (v. fig. 30) accuratissime repetitum cum gladio et leone.

Alter typus (num. 21—27) illustrat, si a paucis discrepantiis abscedis, in reversa insigne Hervoiae gentilicium. Est enim baltheus obliquus tribus aliis super alia liliis vestitus duabusque argenteis crucibus comitatus.

Ornamentum cassidis clausae crescens gladii brachium thoracatum praebet, qui tribus cruculis et intra brachium tribus liliis aliis super alia positis ornatus est. (Ljubić, tab. XVII, num. 21. Exemplaria 24, 26, 27 discrepant, quod ad numerum crucum et liliorum attinet.) Atque profecto hoc est insigne gentilicium Hrvatinićianorum, quod cum in Illyricis insignium libris tum in id genus libro bibliothecae Vindobonensis aulicae (MSS. num. 7683, tab. XXVIII. — Thallóczy: Az illyr czímergyűjtemények, Budapest 1888. Collectio armorum Illyricorum, pag. 56) coloratum familiae Harvoevich (Hervoiae) fuisse adnotatum invenimus. In eo enim color campi ruber, baltheus aureus est, lilia rubra crucesque argenteae. Cruculae autem super gladii brachium rubrae sunt, lilia aurea. Hae quasi suspensae figurae, quae haud sunt heraldicae, originem suam campo cruculis liliisque constrato fortasse debere videntur.

Itaque ex missali Hervoiae potissimum confirmatur duo esse insignia, quae nobis praesto sint. Nam ducalis dignitatis insigne imago ultima plagula (248 a) codicis exhibet, cum pag. 4 a, 21 a verso, 25 a, 195 b, 200 a gentilicias initiales insignibus decoratas inveniamus easque iis coloribus pictas, qui mori illius aetatis conveniebant. Signi, quod pag. 4 a invenitur, color est candidus auro distinctus, in scuto caerulea fascia obliqua tribus aureis liliis aliis super alia positis vestita et duobus aureis punctis notata. Simile est signum pag. 11 d, id vero sine punctis; 21 a verso campus albus sine aurea distinctione, loco aureorum punctorum aureae cruces observantur; insigne pag. 25 a idem fere est atque pag. 4 a; 195 b = 21 a verso; insigne pag. 200 a tale fere est, quale pag. 4 a ita quidem, ut aurea puncta desint. Itaque in missali gentilicium etiam insigne coloribus depictum reperimus, cuius genuinam

veramque formam imaginibus pag. 21 a verso et pag. 195 b exhibitis indicari tenendum est (v. fig. 17 et 19).

Sed ducale Hervoiae insigne multo maioris est momenti; nam ad originem et progressionem signi terrae Bosniae proprii vehementer pertinet. Cum enim vetus quod dicitur regium insigne Bosnense ad initium saeculi XVI. usque corona uteretur, ex iure Hungariae publico et Habsburgorum ratione principali pro insigni Ramae (quae est secundum Hungariae dipl. eadem atque Bosnia) id habebatur, cuius in campo aureo rubeus, gladioque armatus cubitus est, qui gladium pugno tenens ex alba nube eminet. („In goldenem Felde ein roth gewappneter Arm, der den Säbel in der Faust aus weissen Wolken hervorragt." — Cf. Titulatur und Wappen S. Röm. und Oest. kais. auch kgl. Majestät. 1804, den 11. Aug. und 1836.)

Ex Hervoiae insigni quaestio explanari potest, quomodo ille cubitus rubore armatus per tria saecula usu universae Bosniae receptus sit, atque is eadem forma, sed barroco, ut ita dicam, genere facile immutatus et leone gemina cauda praedito privatus: id quod commemorandum est, cum praesertim leo etiam apud Hervoiam et in scuto proprio sepulcrorum regis Bosniae Nicolai Ujlaky inveniatur.

Neque vero in animo est libellos haud paucos, quibus de insignibus Bosnensibus quaeritur agiturque, in auxilium vocando totam quaestionem rursus evolvere, satisque videtur ad ea relegasse, quae ad Hervoiae ipsius signa attinent. (Dr. Fr. Rački: De vetere Bosniae insigni, in „Archiv für slavische Philologie", 1880, pag. 342; V. Jagić, ibid. pag. 500; J. Bojničić, ibid. pag. 497; Klaić: Bosnensia, 1879, II, pag. 13—33; Dr. L. Thallóczy: A bosnyák czímer- és zászlókérdés — Quaestio armorum Bosnensium atque vexilli —; Katalin bosnyák királynő sírköve — Epitaphium Catherinae, reginae Bosniae, — in „Archaeologiai Értesítő", Budapest 1881, pag. 23—29 et 1885, pag. 328, et Az Ujlakyak síremlékei — Epitaphia Regis atque Ducis de Ujlaky — ibid. 1889, pag. 1—8: B. A. Nyáry: De armis Bosniae, in „Turul", Budapest, II, pag. 9; atque in opere Ioannis Asbóth: Bosznia és a Herczegovina — Bosnia ac Hercegovina — t. II, pag. 187—202.)

Ut iam commemoratum est, in Hungaricis chartis Latine scriptis Rama semper is ager appellatur, qui in universum nihil aliud est nisi pristinum feudale regnum Bosniae. Quodsi quaeras quomodo fieri potuerit, ut Rama vel Bosnia saeculo XV. praeter insigne coronam exhibens (quod hodie quoque in portis castelli Jajce conspicitur) hoc signum gladio instructum reciperet, haec res inde fortasse explicari potest, quod familia Hervoia-Hrvatinić in Bosnia inter septentrionem et occasum solis spectante, quae Croatica Bosnia vocatur, feuda possedit, quae iuris regni Hungarici erant. Cum anno 1463 Bosniae dynastia periret, Jajce et alia castra partis huiusce Bosniae ut reliquiae Hungariae manserunt, quae per regem Nicolaum Ujlaky et postea per Ioannem Corvinum huic agro confini libertatem quandam ratione iuris publici respecta tribuebat. Bosniae haec relicta pars cubitum in insignia recepit, qui Hervoiae ducale fuit insigne et etiam in epitaphio Catherinae Bosniae ultimae reginae scuti centrum repraesentat. Sic insigne hoc symbolum Bosniae-Ramae dynastiae Jagellonum demonstrat, insigne Dolnji Krajini, id est inferiorum partium Bosniae. Nam Vrh - Bosnia a Turcis occupata superiorem significat partem regni.



Fig. 32.

Ut vero alia huius rei argumenta praeteream, satis est ad nummos Ludovici II. regis Hungariae necnon Habsburgorum relegasse, qui signum Bosniae-Rama recipiebant illud, quod olim Hervoiae erat, et iam anno 1525 in argenteo thalero Ludovici II. inter arma litterae R addita sub dalmatino Ramaianum insigne gladio armatum videmus. (Nummus originalis in nummotheca Vindobonensi. Cf. I. Rupp: Nummi regni Hungariae, tab. XXIII, num. 575, aliumque typum eiusdem anni s. n. 577 in tabulis Weszerleanis XV. et XVI.) Atque inde ab his temporibus insigne Hervoiae missali lautissime exhibitum leone abiecto Bosnensis terrae insigne est, quamquam alia etiam sunt, quae huius terrae esse putabantur. (Hervoiae leo ducalis in

armis hodiernis civitatis Almissanae conservatus est, quae civitas quasi castellum et capitale fuit illustrissimi ducis.)

Atque profecto hoc heraldicum documentum, quod nobis Hervoiae missale praebet, haud exiguo est momento. Testatur enim saeculo XV. optimates Bosnenses magna auctoritate usos esse et ad Hadriam Histrumque potestate floruisse.

Hervoiae autem gloriae maxime conducit, quod memoriam huius horridi militis opus tam praeclarum ad posteros propagavit. Et rectissime de superbo illo filio saxorum, in quibus iam Romani Deam Petrae habitare affirmabant, praedicare licet:

„Fortes creantur fortibus et bonis; — neque imbellem feroces progenerant aquilae columbam.“ (Horat. od. IV, 4 29 sq.)

DE

MISSALI GLAGOLITICO HERVOIAE

COMMENTATIO AD ARTEM ORNANDI

PERTINENS.




Fig. 33.

Praestans et excellens est hic codex artificis elegantis ornatu. Cum enim alia sacramentaria paucas tantummodo easque solitas imagines ad textum canonis proprias exhibeant et fortasse etiam paschalia euangelia euangelistarum simulacris notabilia sint, raro autem festum quoddam vel sanctorum missam habeant illustratam, huius codicis unaquaque fere pagina litteris exornatissimis et imagunculis praedita egregium oculis praebet spectaculum.

Iam librarius, ut supra legimus, id potissimum egit, ut hic codex largis politissimae artis ornamentis exornaretur; nam principia litterarum ornatarum adumbrabat, spatia helicibus adiungendis relinquebat, quadrata et rectagona depingebat iis locis, ubi vel rebus gestis vel sancti cuiusdam simulacris textum qui dicitur quasi vestiri oportebat. Ipse res elegit, ut ex praecepto pag. 162 invento et iam in prima commentatione commemorato, quod pictori post sequenti destinatum erat, cognoscitur.

Id genus autem praecepta frequentia fuisse putanda sunt aut nunc quidem opacis coloribus, quibus imagunculae depingebantur, contecta esse videntur; alia vero eius modi

in codicibus saeculi decimi quarti reperiuntur, ut in notissimo codice Corviniano Divinae Comoediae, nunc quidem in bibliotheca universitatis Pestinae adservato praecepta fere omnia, cum colores tenues et pellucidi sint, sub imaginibus, quas mirum in modum deformant, legi possunt. Cum autem codicis de quo sermo est praecepta glagolitica lingua sint conscripta, inde facile colligitur librarium sperasse pictorem eiusdem nationis opus suscepturum esse vel saltem talem, qui eadem lingua usus quid ipse voluisset intellegeret.

Butko librarius de artificioso codicis ornatu optime meritus est. Nam non rerum quae depingerentur solum eligendarum, sed arte distinguendarum auctor fuit elegans. Litteras initiales, ex quibus quadringentae quindecim magna dimensione ubereque sunt ornatu, nec non ingentem copiam minorum, quae codicis scriptura altero tanto maiores sunt, haud sine verae artis gustatu distribuit modo coacervando modo rarius ponendo, idque tum imprimis, cum imagines intercedunt; qua in adornandi ratione textus articulorum vel capitum quorundam respectum prorsus non habuit; neque enim in fronte singularum missarum vel euangeliorum litteram maiorem largiusque ornatum posuit, sed artis tantummodo rationes secutus singulis paginis singulas certe, interdum binas litteras attribuit, quae modo initium missae cuiusdem modo initium lectionis vel epistulae designant.

Deinde id consilium secutus est, ut litterae exornatae in contrariis et adversis paginis loco variarent et alternantes in prima vel altera columna positae varium locum modo superiorem modo inferiorem continerent et, si fieri potuit, propius ab initio vel fine columnae constituerentur, ut pictori facultas daretur supra scripturae marginem sursum deorsum ornamenta extendendi; qua re impeditur, quominus species singularum paginarum similitudine offendat. Eadem fere licentia usus est in simulacris disponendis et quamquam festa clarissima, quae imaginibus celebrare debebat, ut respiceret necesse erat, tamen de cetero ius auctoris ornamenta ex suo arbitrio distribuentis obtinuit. Cuius rei testimonia ut adferam, totum adventus tempus et omnes dies dominici

post pentecosten praeter quasdam apostolorum imagines imaginibus prorsus carent, idemque valet de tempore inde ab altero die dominico post epiphania usque ad mediam quadragesimam ita ut per quadraginta paginas picturas omnino desideres et initialium tantummodo ornamenta deprehendas.

Aliis vero locis, ut ultimis quadragesimae hebdomadibus simulacra tam frequentia ponit, ut saepe per complures deinceps paginas continuentur. Sed negari nequit in hac ornamentorum et picturarum dispositione consulto adhibita oblectationem atque venustatem quandam sitam esse, quae quidem augetur ipsa picturarum forma et magnitudine varia.

Interdum enim spatium quadrati latitudine columnae continent ita ut oculis id genus quadratas inter lineas positas picturarum formas aspicientibus simplex et mera figura geometrica occurrat, qua nostrum sensum delectari constat. Sunt autem eius modi picturarum quadrata omnino quattuordecim:

1. pag. 11, ubi Christi nativitas depingitur.
2. „ 11 verso Christus infans in balneis.
3. pag. 16 verso Adoratio magorum.
4. „ 17 „ Baptisma Christi.
5. „ 20 . Nuptiae Canaenses (v. fig. 34).
6. „ 40 „ Samaritis ad fontem.
7. „ 57 . Revocatio iuvenis Naimensis a morte ad vitam.
8. „ 61 „ Ionas in Assyriae urbe Ninive.
9. „ 62 „ Daniel in lacu leonum.
10. „ 83 . Lavatio pedum.
11. „ 136 . Depictio missae sacrae.
12. „ 155 . Purificatio beatae virginis.
13. „ 132 . Baptismus Ioannis.
14. „ 241 „ Reditus domini die divini iudicii.

Aliae autem picturae item quadratae minore sunt dimensione ita ut non totum spatium in latitudinem expleant, sed propius ad sinistrum marginem admotae a dextra parte spatium litterarum notis relinquant, sicut quattuor ex apocalypsi animalia pag. 70, 74 v (v. fig. 36),

78 v, 85 nec non angelus Matthaei pag. 182 v et duodecim fastorum imagines pag. 143—148 v (v. fig. 7, 8, 9, 10).

Ex picturis autem, quae partem tantummodo quandam latitudinis columnae amplectuntur, paucae sunt, quibus est quadrata forma; nam plerumque sunt specie rectagoni recti,



Fig. 34.

ut pag. 55 caeci sanati, pag. 99 resurrectio dominica, pag. 103 feminae ad monumentum, pag. 109 domini ascensio in caelum, pag. 112 et 211 sanctissimae trinitatis effigies (v. fig. 38, 40), pag. 109 assumptio beatae virginis (v. fig. 37). Deinde insequuntur simulacra scriptorum lectionum, epistolarum, euangeliorum, nec non sanctorum, quibus missae erant dedicatae, sive pectus tantum vel hominem genu tenus exprimunt, sive totam praebent staturam; quorum sunt quadraginta quinque pag. 3, 17, 42 v, 44 v, 50, 56 v, 57 v, 65, 100, 101, 102, 115, 118 v, 149, 152, 160, 161, 162 (cum duabus imaginibus), 163, 163 v, 164, 167 (cum duabus imaginibus), 168, 170, 171, 171 v, 172, 174, 175, 176, 177 (cum duabus imaginibus), 178 (cum duabus imaginibus), 183, 184 (cum tribus imaginibus), 185, 187, 188, 190, 201. Imaguncula vero in latitudinem porrecta una tantum reperitur eaque angustior, quam latitudo columnae est, pag. 170 v, ubi nativitas beatae virginis depicta est. Duae aliae id genus imagines totam columnae latitudinem continent: Parabola de patre familias qui plantavit vineam (v. fig. 35) pag. 41 et Lazari a morte ad vitam revocatio pag. 58. In imagine autem amplissima post textum posita, quae in altitudinem extenta per totam columnae procurrit latitudinem, archangelus Michaelis vel S. Georgius apparet (v. fig. 39). Tum elegantia et concinnitate excellunt duo quadrata minima dimensione, quibus Christi facies et Ioannis baptizatoris caput decisum (v. fig. 2) picta

inveniuntur. Quam vehementer autem librarius — is enim huius rei praecepta dederat — simulacris delectatus sit, inde potest colligi, quod in singulis etiam litteris figuras vel res gestas posuit, ut Pauli pectus pag. 3 (v. fig. 4), Domini adventus portis clausis pag. 105, (v. fig. 12) Christus apud Mariam et Martham pag. 176, S. Ludovicus pag. 178. Quae omnes variae dimensionis imagunculae, quae sunt 92, ut litterae exornatae variis columnarum locis dispositae sunt, modo columna prima modo media modo extrema, atque hic quoque ex scriptura in inferiorem pergamenti marginem album prominent; qua re elegantem speciem prae se ferunt, eamque praesertim tum, cum scriptura angustiores sunt. Denique codicis ornamentum conficitur tribus imaginibus, quae magnitudine sunt plagulae; sunt enim crucifixum medio in canone, simulacrum Hervoiae equitis (v. fig. 18) eiusque insigne (v. fig. 30) in fine codicis positum.

Atque librarius ut pictori, quem hac dispositione ad sua praecepta alligabat, quasi dux exstitit, ita eius artem finibus multo angustioribus circumscripsit electis iis textus locis, qui ornari debebant, et destinatis iis cogitationibus, quibus illi erant ornandi.

Proinde pertractemus singulas imaginum res secundum quattuor textus sectiones. Ordiendum autem est a missis ad circulum anni ecclesiastici distributis. Librarius certum ordinem, qui ad artem revocatus esset, in digerendis imaginibus nequaquam secutus neque maiores picturas forma quadrata et latitudine columnae euangeliis summorum festorum vel dierum dominicorum reservaverat neque minores lectionibus et epistulis attribuerat, sed id egerat, ut artis ornamenta quam maxime variarent. Etsi igitur maiores imagines plerumque euangeliis gravium festorum addit, tamen interdum singulas quoque lectiones illis instruit nulla alia, ut videtur, causa nisi libidine variandi commotus. Qua ratione fieri potuit, ut praeter solitas et consuetudine usitatas res ex novo testamento desumptas imagines ad antiquum testamentum pertinentes adferret neque in his pingendis firmis typus adstringeretur. Praeterea vero minores picturae in altitudinem et latitudinem extentae ut ad euangelia explicanda adhibentur

ita ei consilio inserviunt, ut iis pro depictionibus rerum in capitibus bibliae sacrae recitatis narratarum scriptores ipsi vel auctores sacrorum librorum, qui illis textus locis commemorantur, recipiantur. Ut unum adferam exemplum, nihil fere libidinem illam, qua in materia digerenda Butko usus est, tam bene illustrat quam quod festum ecclesiae celeberrimum, dico sollemnitatem paschae, nulla prorsus imagine, pentecosten vero una tantummodo eaque mediocri in altitudinem porrecta ornavit, cum epistulis feriarum quintae hebdomadis quadragesimae, quae ecclesiae nullo fere sunt momento, spatium quam potest maximum concedat. Nam sine dubio eius animus rebus antiqui testamenti ibi narratis neque umquam ab eo visis magis delectatus est quam gravissimis rebus novi testamenti, quarum forma firmum fere typum adepta est. Ut vero a semiimagine S. Pauli nunc recedas, quae in prima codicis pagina ea littera exornata inclusa est (v. fig. 4), a qua epistula Dominica I. adventus ad Romanos 13, 11—14 orditur, primum simulacrum quadrata forma et latitudine columnae pag. 11 inter primam et alteram missam in nativitate Domini positum erat. Euangelium in nativitate Domini ad I. missam Lucas II, 1—15 describit nativitatem Christi, euangelium in nativitate Domini ad II. missam praedicationem ad pastores. Certe ex intentione librarii in miniatura supra commemorata secundum consuetudinem palaeochristianam et ad postremum usque medium aevum retentam, quam Butko ignorare non potuit, ambae actiones in unam eandemque tabellam unitae sunt. Gratum delectationisque plenum esset nosse, quid Butko de insequenti imagine pag. 11 v ad euangelium in nativitate Domini ad III. missam praescripserit, ubi pictor deficiente argumento historico in clarissimo illo initio euangelii Ioannis ex schemate illo descriptionis nativitatis figurarum sat pleno balneum infantis, quod in praecedente imagine praetermiserat, singulari, de quo postea sermo erit, ornatu usus addidit. Ad textum epiphaniae Domini pag. 16 b secundum euangelium Matthaei II, 1—13 adoratio magorum, in octava huius festi pag. 17 b secundum praescriptum euangelium Ioannis I, 29—35 baptismus Christi depictus

est. Id genus picturae formae quadratae et latitudinis columnae complures inveniuntur; itaque pag. 20 dominicae II. post epiphaniam nuptiae Canaenses destinatae sunt (v. fig. 34) secundum euangelium Ioannis II, 1—11; pag. 48 v feriae VI. post domin. III. quadragesimae Samaritana ad fontem secundum euangelium Ioannis IV, 5–43; pag. 57 feriae V. post IV. domin. quadragesimae iuvenis Naimensis revocatio a morte secundum euangelium Lucae VII, 11—14; pag. 83 feriae V. maioris hebdomadis in coena domini lavatio pedum secundum euangelium Ioannis XIII, 1—15. Praeterea textus euangeliorum minoribus picturis in altitudinem vel in latitudinem porrectis illustratus est. Illarum autem in numerum pag. 55 v. ad feriam IV. post IV. domin. quadragesimae sanatio caecigeni referenda est secundum euangelium Ioannis IX, 1—40; pag. 99 v ad sabbatum sanctum secundum euangelium Matthaei XXVIII, 1—8 resurrectio; pag. 103 ad feriam V. post pascha Magdalena ad monumentum Domini secundum euangelium Ioannis XX, 1—10; pag. 109 ad diem ascensionis Domini ascensio secundum euangelium Marci XVI, 14—20. harum vero in numero habenda sunt pag. 41 ad feriam VI. post domin. II. quadragesimae agricolae in vinea secundum euangelium Matthaei XXI, 33–46 — est enim unica parabola, cui simulacrum destinatum est (v. fig. 35) — et pag. 58 ad feriam VI post domin. IV quadragesimae revocatio Lazari ad vitam secundum euangelium Ioannis XI, 1–46; quae quidem picturae omnes scenam quandam ex euangelii textu missae desumptam praebent. Itaque est historica, ut dicitur, scena, quae exhibetur; quin etiam in litteram Ƭ copiosissime exornatam, a qua euangelium dominicae in octava paschae proprium Ioann. XX, 19—31 capit initium, eiusmodi scena historica inserta est, I. Christi adventus portis clausis (v. fig. 12).

Ad illustranda vero passionis euangelia hebdomadis paschalis alia ratio adhibita est; invenis enim pag. 70, 74 v, 78 v, 85 ad passionem secundum Matthaeum dominica palmarum, ad passionem secundum Marcum feria III. maioris hebdomadis, ad passionem secundum Lucam feriae IV. maioris hebdomadis, ad passionem secundum

Ioannem feria VI maioris hebdomadis semiimagines angeli, leonis (v. fig. 36), vituli, aquilae. Ad pentecosten, cuius euangelium Ioannis XIV, 23—31 non historicum argumentum, sed Christi promissionem de S. Spiritu mittendo continet, pag. 112 ante euangelium simulacrum sanctissimae trinitatis positum est (v. fig. 38) et singularis illa notabilisque ratio, qua Spiritus Sanctus hic depingitur, fortasse aliqua ex parte praecepto librarii debetur. Nam satis mirum est, quod imaginem non potius textui epistulae, quae secundum acta apostolorum II, 1—12 adventum Spiritus Sancti narrat, adiecit; hic enim historicae imagini iam parata et usitata forma praesto fuisset, quae ratio eo magis nos miros debet habere, quod alias quoque epistulas picturis quadratae formae et latitudinis columnae ornavit, ut epistulam feriae II. post dominicam passionis (Ionas III, 1—10), ubi Iona ante regem Ninives, et epistulam feriae III. post dominicam passionis (Daniel XIII, 28—42), ubi Daniel in lacu leonem depingitur.

Alia ornandi ratio, quae cum ratione historicis scenis illustrandi variat, in eo posita est, quod lectionibus vel epistulis vel euangeliis simulacra adponuntur auctores pectore aut genu tenus exprimentia; semel etiam tota figura conspici potest; itaque semel Paulus pag. 3 (v. fig. 4), ter Lucas pag. 42 v, 65 v, 115, quater Ioannes pag. 100, 101, 103, 118 v (v. fig. 41), quinquies prophetae pag. 17 Isaeos, pag. 50 Daniel locis, quibus eorum libri citantur, sed ad epistulam feriae V post IV domin. quadragesimae, quae ex libro Regum 4, 25—38 desumpta est, auctor non nominatur; at vero pag. 56 v imago prophetae illius Elisaei, qui quomodo filium Sunamitae a morte revocaverit, illo textu narratur itemque ad epistulam feriae VI post IV domin. quadragesimae pag. 57 v simulacrum prophetae Eliae, qui quomodo filium viduae Sarephtanae revocarit epistula III libri Regum commemoratur; nec non ad epistulam feriae II. post III. domin. quadragesimae, ubi secundum IV. l. Regum 5, 1—16 similis ratio intercedit, nisi quod loco Elisaei huc referendi Elias depictus est, de qua re infra disputabitur.

Exornatio autem alterius textus partis, dico canonis, haud multum

ab usitata ratione medii aevi, de qua nuperrime sagaciter tractavit V. C. Antonius Springer: „Der Bilderschmuck in den Sacramentarien des frühen Mittelalters“, Leipzig 1889, recedit. Ante praeparationes ad missam pag. 136 v simulacrum altaris cum supellectile liturgica et sacerdote et ministrante veluti exordium



Fig. 35.

praemissum est, pag. 139 illud „vere dignum et iustum est“, pag. 140 illud „te igitur“ (v. fig. 32) initialibus insignita sunt et inter haec pag. 139 v simulacrum totum Christum cruci fixum inter Mariam et Ioannem exprimens positum est, quod cum sacerdoti ex more canonem recitanti osculo tangendam esset, hic, ut in aliis quoque sacramentariis fieri solet, fere deletum est.

Notabile autem est, quod illa Ⱅ, ex qua glagolitica lingua illud „vere dignum et iustum est“ exorditur, quamquam flexis cygni collis ornata est, tamen contra consuetudinem neque magnitudine neque ornamento a ceteris initialibus differt. Sed littera T in „te igitur“ iam saepimento quadrato, quod in hoc codice nisi raro non reperitur, prae ceteris eminentior facta est (v. fig. 32). Elegantissime vero pag. 14 illud „Pater noster“ exornatum est, cum iuxta verba precationis caput Christi in parvo quadro aureo pictum est positum.

Mirae et insignes in descriptione tertiae textus partis sunt imagines fastorum, cum initio singulorum mensium in quadrato minoris latitudinis quam est latitudo columnae aliqua figura cum mensis negotiis posita est (v. fig. 7, 8, 9, 10), atque hic nonnullae notabiles discrepantiae a solita serie inveniuntur. Cum vero discerni nequeat, utrum singulae adumbrationes hic quoque a librario praescriptae an alia exempla usui fuerint, postea de iis tractabimus tum demum, cum de compositione agetur.

In quarta parte missarum propriarum Butko semel tantummodo in missa diei Mariae purificationis

rationem in missis ad circulum anni praecipue adhibitam secutus est textum euangelii singularum missarum quadrato latitudinis columnae exornandi. Ad II. Februarii pag. 155 praecepit secundum euangelium Lucae II, 22—32 oblationem Iesu in templo; die Mariae assumptionis autem argumento euangelii Lucae X, 38—42 de Christo apud Martham et Mariam versante initialem tantum litteram exornatam destinavit, in initio vero missae sollemnis Mariae assumptionem in caelum posuit (v. fig. 37), quae ad diem festum, non autem ad textum missae pertinet. Haec autem illustrandi ratione semper fere etiam in ceteris festis adhibita est; itaque festo Mariae nativitatis re vera nativitas virginis depicta est pag. 179, festo divinae trinitatis haec ipsa sanctissima trinitas pag. 211 (v. fig. 40), et raro tantum auctores euangeliorum ipsi, sicut ad missam die XIV. Octobris pro Callixto papa pag. 185 v Lucas euangelista, quod ex eius euangelio caput hoc die recitabatur, ad missam diei festi omnium sanctorum Kal. Novembribus et exaltationis crucis die XIV. Septembris euangelista Ioannes pag. 181 et 187, ceterum semel pag. 168 praeter sanctum diei, S. Paulum, Matthaeus, quoniam ex eius XI, 16–23 euangelium illius diei desumptum erat. Eadem de causa pag. 149 etiam figura apostoli Pauli ante initium epistulae ex eo haustae posita est, item pag. 203 in missis omnium festorum, qui sanctis doctoribus dedicati sunt.

In hac quarta parte haec regula plerumque observata est, ut sanctus diei depingatur figura partim tota, partim genu tenus expressa, nonnunquam binis vel trinis sanctis coniunctis. Itaque imagine expressi sunt pag. 152 v ad Pauli conversionem XXV. Ianuarii Paulus; pag. 160 ad Kal. Maias apostoli Philippus et Iacobus; pag. 161 ad IV. Mai Ciriacus episcopus; pag. 162 ad VI. Mai festum euangelistae Ioannis ante portam latinam euangelista Ioannes; ibidemque S. Damianus et S. Michaelis archangelus una tabula, quamquam eorum missae in dies insequentes VII. et VIII. Mai cadunt; pag. 163 ad XI. Iunii apostolorum discipulus Barnabas ibidemque ad XIII. Iunii S. Antonius Patavinus; pag. 167 ad XXVIII. Iunii vigilias SS. Petri et Pauli, S. Petrus; pag. 167 ad diem festum

ipsum ambo principes apostolorum; pag. 168 ad commemorationem S. Pauli XXX. Iunii simulacrum tantummodo Pauli solius; pag. 130 ad XIII. Iulii S. Margaretha; pag. 171 ad XXII. Iulii S. Magdalena; pag. 171 v ad XXIII. Iulii S. Apollinaris; pag. 172 ad XXV. Iulii apostolus Iacobus maior; pag. 174 ad X. Augusti Laurentius; pag. 175 ad XII. Augusti S. Clara; pag. 177 ad XIX. Augusti S. Ludovicus Tolosensis; eademque in pag. ad XXIV. Augusti apostolus Bartholomaeus; pag. 178 missa regis Ludovici XXV. Augusti nimirum eius imagine exornari debebat; errore autem simulacrum Ludovici Tolosensis repetitum est; eadem pag. ad XXVIII. Augusti S. Augustinus; pag. 183 ad XXVII. Septembris SS. Cosmas et Damianus; pag. 184 ad XXIX. Septembris S. Michaelis archangelus; pag. 184 v ad XXX. Septembris S. Hieronymus ibidemque ad IV. Octobris S. Franciscus; pag. 188 v ad XI. Novembris S. Martinus; pag. 203 ad XXV. Novembris S. Catharina. Qua ab consuetudine discedit missa euangelistae Matthaei XXI. Septembris, cum pro eius simulacro pag. 182 v imago eius angeli profertur. Contra vero festum crucis inventioni sacratum III. Mai pag. 160 semiimagine S. Helenae, ad quam haec res potissimum pertinebat, ornatum est. Prorsus ab aliis diductum est simulacrum decisi capitis Baptizatoris (v. fig. 2), cuius parva quadra pag. 178 v in fine eius missae posita est. Postremum duae precationes picturis notatae sunt, dedicatio aquae depictione Ioannis baptismi, quadrato columnae latitudinis expressa pag. 132, et sequentia „dies irae“ imagine paulo minore mundi iudicem in throno sedentem monstrante. Fini textus post missam pro peccatis sequens adiuncta est depictio Michaelis archangeli aut S. Georgii magnum per spatium extensa, cum duae extremae paginae totius codicis imagini Hervoiae ducis eiusque armorum reservatae essent.

In frequenti classe missarum propriarum librario liberum erat arbitrium imaginum disponendarum. Qua in re nulla praesto erat traditio, quae ornatum picturarum festis quibusdam principalibus gravissimisque attribuisset; atque erant fortasse eminentes festi S. Mariae dicati, quos neglegere non poterat. Eo magis autem mirandum est quod



Fig. 36.

praeter apostolos, euangelistas, apostolorum discipulos, clarissimos in litania magna commemoratos sanctos et feminas martyras, sicut S. Catharinam, quam tota christianitas ubique verebatur, nulli superiorum collegiorum monachorum sancti ornati sunt, quod Benedictus et Scholastica desunt, nec non sancti medii aevi posterioris ex Dominico ordine, sicut Dominicus et Petrus martyr, quod, ut iterum dicam, praeter illos antiquos ecclesiae sanctos canonizati tantum Franciscani adferuntur: S. Franciscus, S. Antonius Patavinus, S. Clara, S. Ludovicus episcopus, S. Ludovicus rex. Quae cum ita sint, aut librarius ex ordine fratrum minorum prodierat aut, id quod veri est similius, codex basilicae collegii cuidam huius ordinis destinatus erat.

Ter repetitus archangelus Michaelis, sanctus patronus Franciscanorum corporis, semel sat mire coniunctus cum S. Damiano, cuius nomen primae Franciscanorum coloniae summo est momento, in hoc rerum contextu notabilis esse debet. Neque forte fortuna factum esse videtur, ut praeter dies S. Mariae festos ex generalibus ecclesiae festis in illa parte missarum propriarum crucis inventio et exaltatio tantum praedicantur. Veneratio s. crucis autem Franciscanis maxime erat cordi et saeculo decimo quarto quintoque Franciscanorum tantum basilicae sunt, in quibus legendam crucis inventionis depictam videmus. Ut exemplum adferam, commemoro basilicam S. Crucis Florentiae, S. Francisci urbis Arezzo cum perfectis picturis ab Angelo Gaddi et Petro de Burgo S. Sepulcri pictis.

Quodsi considerare adgredimur, quo modo miniator hoc uber programma subtiliter excogitatum executus sit, primum monendum est eum duos programmatis locos male intellexisse. Ad missam enim S. Antonii Patavini die XIII. Iunii pag. 163 v librarius spatium reliquerat semiimagini illius sancti pingendae. Figura vero, quae ibi a pictore prolata est, calvi est senis violacea toga cucullata vestiti, qui nusquam nulloque prorsus pacto pro imagine

Antonii Patavini, qui semper iuvenis inducitur, habendus est, quoniam eum cineracea veste Franciscanorum indutum semper depingi constat. Sine dubio igitur pictor loco Antonii Patavini imaginem Antonii abbatis errando posuit. Alterum erroris exemplum est pag. 178 ad XXV. Augusti, ubi ad missam S. Ludovici regis eius simulacrum in initiali collocari debebat. Pictor vero pro regis imaginem Ludovici episcopi Tolosensis delineavit, quem iam aliquot paginis ante suo loco depinxerat. Qua ex re colligi potest pictorem textum mente non comprehendisse et quamquam compererit locis supra commemoratis Antonium et Ludovicum collocandos esse, tamen memoria non retinuisse, uter Antoniorum Ludovicorumve describi deberet, ita ut fortuito ac temere illum sanctum eiusdem nominis pingeret, qui quidem in eius mentem incidit. Itaque librarius, qui cum praecepta illa iam supra laudata glagolitica lingua daret, pictorem ex textu ampliorem depingendi rationem, si oporteret, paraturum esse confidebat, hac spe male deceptus est. Nam depictor textum slavicum nequaquam intellegens praeceptis illis tum demum uti potuit, cum erant in suum sermonem conversa. Videmus enim variis codicis locis aut iuxta imaginem aut inferius in margine breves adnotatiunculas de re pingenda obiter in lingua latina factas, eas quidem stilo argenteo et gothica minuscula exaratas, quae quamquam plurimis locis sublatae erant, tamen passim aut integrae remanebant aut saltem dilucida vestigia relinquebant.

Itaque sat plane apparent pag. 42 v *lucas,* 44 *[E]lias,* 50 *[D]an[iel],* 56 v *E P,* i. e. Eliseus propheta, 100 *john,* *eua[n]geli[sta],* 100 v *johā,* 102 *ioh[annes],* 103 *maria magdalena [ven]it ad sepulcrū,* 149 v *[Paul]us ap,* 163 *barnaba,* 164 *Stus Vit[us] cresce[n]tia m[odestus],* 167 *Sts. petrus,* 170 v *margareta,* 171 v *apolina[ris],* 175 *clara,* 177 *bartolomeus,* 178 *agostinus epi,* 185 v *Lucas euāgelista,* 190 *sca Chatarina,* 211 *sta trinitas.* Exstant reliquiae inscriptionum etiam aliis locis, ex quibus effici potest eas rem depingendam breviter significasse, sicut apud Danielem in lacu leonum pag. 62 v legas *leō,* pag. 167 in depingendis Maria et Martha . . . . *marta,* pag. 179 apud

Mariam ortam *maria* . . . . . . *anna par* . . . . Aliae vero talium inscriptionum reliquiae, quas indages, iam legi nequeunt, ut pag. 105, 109, 168, 178 v, 187.

Has autem inscriptiones non post factas esse, quae spectatoribus textum glagoliticum non intellegentibus explicationem praeberent, inde fit probabile, quod quaedam partes id genus inscriptionum margine imaginum coopertae sunt ita ut eas prius inscriptas esse statuendum sit quam imagines ipsae sint depictae. Pictor igitur, cum sermonem glagoliticum non intellegeret, illa librarii praecepta ut sibi in latinum converterentur poposcisse et celeriter adnotasse videtur; qua re interdum unus alterve error facile potuit admitti. Itaque imagini prophetae ad epistulam feriae II. post III. dominicum quadragesimae depictae *[E]lias* adscriptus est, cum in illo capite IV. l. Regum V, 1—16 de Eliseo agatur. Quae vero deinde ex nostra observatione effici possunt, haec sunt: pictor nequaquam indigena Spalatensis sermonem eius terrae, etsi litterarum peritus fuit, non intellexit et postquam ei haec praecepta brevia lingua latina concepta oblata sunt, ipse cum codice solus est destitutus.

Cum vero figura litterarum a librario praeformata esset, artifex exigua tantum pingendi libertate usus est. Liber atque solutus quidem erat in persequenda compositione, sed argumentum ei praescriptum atque ipsum spatium depingendum terminationibus finitum fuisse scimus. Bis tantum licentiam sibi sumpsit paulumper mutandi. Pag. 109 enim in Domini ascensione et pag. 187 in semiimagine Ioannis euangelistae area depingenda a librario ut haud raro spatium textus transgrediente in inferiorem folii marginem detracta erat. Pictor igitur hanc designatam tabulae inferiorem partem rasit, id quod luculenta vestigia demonstrant, et aream depingendam tanto amputavit quantum eius compositio requirebat. Quod ad alteram rem pag. 187 attinet, mira observatio fieri potest. Verba praecepti *Ioh evan.* in spatio prioris a librario designatae areae stilo argenteo posita erant et in rasura legi possunt. Qua re nostra opinio supra commemorata confirmatur plurima praecepta, in quibus omnia fere glagolitica, intra

campum depingendum exarata fuisse et depictione obtecta esse. Sed aliud est, quod premendum esse videtur. Lineis primo instrumento acuto nullo colore tingente cursim ductis, deinde stilo argenteo correctis in inferiore folii margine iterum illud *Iohannes euangelista* scriptum est. Quod si diligentius inquiras, illam vicissitudinem paulo minoris et accuratioris scripturae, quae in margine imaginum ipsarum reperitur et interdum aliqua ex parte pictura obtegitur, et paulo neglectiorum linearum in membranae margine saepenumero facile cognoscas. Quae res ita explicari posse videtur. Artifex enim initio codicis argumentum imaginum explicantibus ascriptionibus latinis, quae penna scriptoria erant exaratae, exponere conatus est. Itaque in pancharta quae dicitur semiimaginis pag. 17 v belle diligenterque scriptum est: ISAIAS · P· Nam omnia prophetarum et sanctorum nomina, quorum primam ascriptionem pictura sua cooperuit, memoria retinere posse sibi visus non est; qua re nomina, dum imagines depingebat, cum iis locis, quibus res ei dubia esse potuit, tum praecipue apud scriptores antiqui novique testamenti, quorum quidem figuras inter se fere pares et similes faciebat, iterum celeri manu in margine posuit, ut ante oculos haberet, cum panchartas explebat vel alias inscriptiones libris, quos illi viri manibus tenent, inserebat. Quod propositum hoc uno tantum loco perfecit, sive pictor post defessus sive has inscriptiones latinas ut textui glagolitico male aptas facere vetitus est, id quod vero minus habet veri similitudinis, cum magna pancharta in Hervoiae ducis insigni latinam exhibeat inscriptionem.

Ars ipsa maxime firma est atque solida. Litterae imaginesque aequaliter omnes eiusdem manus pigmentis quae vocantur opacis confectae sunt, qui quidem colores exemptis paucis locis, quibus segmina passi remittunt vel humore corrupti sunt, ubique integri conservabantur. Aurum quoque ad plenius ornandum



Fig. 37.

adhibitum est. De electis vero coloribus auroque adhibito nostrae imagines frequentes planam reddunt rationem. Id genus enim compositiones nullo pacto cum septentrionali arte cohaerent, sed si rem universam et singula spectes, propriae sunt ultimorum assectatorum magistri Jocti generis pingendi, quod saeculo decimo quarto exeunte, quamquam proprietate loci aliqua ex parte inter se differebat, tamen tota Italia vigebat et dominabatur; neque cum Byzantinorum arte habent quidquam commune et licet de compositionibus formisque taceas, quod color viridis media in carne deest, iam inde apparet hanc, de qua disputamus, artem a Byzantina toto coelo diversam esse.

Quodsi hic artifex uberiores compositiones Christiani cycli in meros dialogos figurarum tranquille iuxta astantium dissolvit, hac consuetudine cum optimis eorum qui minoribus tabellis pingunt, consentit; nam etiam in Florentinis libris choralibus saeculi decimi quarti, qui a summis artificibus sunt picti, et apud Attavante ipsum similem consuetudinem reperimus.

Hic igitur artifex licet in numero praestantium pictorum nequaquam sit ducendus tamen arte ornandi sat idonea praeditus est; qua re ei ornamenta, in universum si spectas, omnino figuris melius processerunt; attamen concedendum est eius quoque imagunculas spatio plerumque feliciter expleto et vigore colorum considerate disposito quantum ad ornatum attinet oculis iucundae esse oblectationi. In litteris exornandis ea forma principe astrictus erat, quam ei librarius praeceperat; attamen sunt aliquot loci, sicut pag. 15, 20, 21, 22, ex quibus colligas eum ornamenta sua maiore libertate conformasse, a praecepto suo digressum esse, varias helices applicasse. Singulis quidem locis coactus est cratem apud slavicas litteras exornatas usitatam retinere (v. fig. 24), plerumque vero iis foliis fructibusque utitur, quae memoriam praecipue librorum choralium Italicorum ecclesiasticorum adferunt. Atque iam supra monitum est ei et quod veri simile est, iam librario missale latinum praesto fuisse, id quod probatur forma glagoliticae litterae W, cuius forma multis locis, quibus textus latinus litteram J praebet, proprius ad hanc accedere incipit. Littera tantum P cum foliatura ramo arido

circumplicata alterius ornandi systematis est (v. fig. 1); qua re demonstratur omnia exemplaria in usum vocata esse, quotquot eo loco ubi scribebatur forte adfuerint. Litterae autem modo insignibus ornatae sunt (v. fig. 17, 19) modo rebus ex historia desumptis; hoc cum fit, tum capita tantum vel semifigurae inveniuntur et quam compte eleganterque hic artifex eiusmodi figuras ad decorandi usum formare sciat, documento sunt simulacra Pauli (v. fig. 4) et Domini portis clausis apparentis (v. fig. 12) hic repetita. Atque modo per iocum facies in alveis litterarum collocat (v. fig. 20), modo polite ubi sacerdos benedictionem in aqua lustranda dat, manum benedicentem (v. fig. 33). Splendide autem decorata sunt apocalyptica animalia, ex quibus Marci leonem exempli gratia praebemus (v. fig. 36). Quam magnifice enim caput Ioannis (v. fig. 2) et facies Christi, si respectum ornatus ducis, tractata sunt!

Ut vero genus moresque huius artificis paulo accuratius definiamus, imagines ipsae diligenter pertractandae sunt.

Primum autem adgrediamur ad contemplandas scenas figurarum ple-



Fig. 38.

nas, quae historicae vocantur. Nativitas Christi pag. 11 prope accedit ad scenam ex antiquiore ecclesiastica arte traditam, quae et in arte Byzantina et in Italica posterioris aetatis mediae permanebat: Madonna enim in culcitis supina iacet tegmine velata et iuxta eam infans in praesepe, adstat autem Iosephus meditans cubito in genu innitente et gena in manum applicata; stabulum significatur simplici fastigio stipula contecto, quod quattuor trabibus infabricatis innititur. Qua cum scena ratione tradita coniuncta est praedicatio nativitatis ad pastores, qui a dextro margine videntur angelum suspicientes, qui de caelo delabens eos adloquitur, cum grex in pictura primus positus sit.

Primo autem conspectu mira nobis videtur imago pag. 11 v. Iterum enim videmus illam nudam casam, quae tecto stramenticio eiusque quattuor trabibus, indicatur et

infantem in parva aquali stantem, qui nimbo crucis Christus designatur. Infans ipse dextra dat benedictionem. Ab utraque parte singulae feminae stant; una est capite tegumento albo velato, altera in capite linea margaritarum utitur; fulciuntque utrimque infantem. Quae scaena quamquam, ut iam supra dixi, primo obtutu aliquid mirationis habere videtur, tamen attentius si eam oculis perlustramus, nihil aliud significari reperimus quam infantis balneum, quod more antiquitus tradito in uberioribus nativitatis depictionibus una cum nativitate offertur, idque tam frequenter, ut longum sit singula exempla proponere. Hic vero illa res a principe scaena seiuncta in propria imagine tertiae in nativitate Domini missae addita est.

Neque adoratio magorum pag. 16 v quicquam peculiare praebet, quantum quidem iconographiam respicis. Ante cavam petram S. Virgo in saxo sedet vestitum infantem in gremio tenens; qui benedicit primo ex magis genibus nixo, qui maior natu est ambobus aliis, qui post eum constiterunt, atque barbatus. Tres omnes albis vestimentis induti aureas coronas denticulatas gestant. Prope Mariam adstat Iosephus; ab astro producti radii super infantem submittuntur.

Typica est etiam ipsa depictio Christi baptismatis pag. 17 b. Medius conspicitur Christus in Iordane, a sinistra parte Baptizator canis crinibus fuscis pellibus vestitus; ab eius tergo unus angelus, alter a dextera genstans rubram Christi tunicam.

Singularem propriamque artificis cogitationem redolet demum pictura nuptiarum Canaensium pag. 20 (v. fig. 34). Ad mensam adsident sponsus sponsaque et duo ad nuptiarum sollemnia invitati senes, qui omnes habitu saeculo quarto decimo usitato induti sunt. A fronte servus amphoras complet. Ad Dominum, qui iuxta matrem suam in alto arcisellio ad sinistrum mensae latus angustum sedet, Maria se convertit in eius aurem loquens. Conatus autem hunc dialogum clandestinum exprimendi, hunc gravem matris susurrum, hanc fere indignabundam animi attentionem Christi, qui iam gestum benedicendi facit, depingendi artifici felicissime successit et sine dubio adfirmare licet hoc esse optimum quod in conamine

animi affectiones exprimendi consequi potuerit. Maxime autem notabilis est ornatus in latere arcisellii Christi. Videmus enim in ligno scalptas duas porticus alteram super alteram, quarum arcus speciem asini tergorum prae se ferunt quaeque nos ad memoriam architectonici ornatus mediis tabulatis Venetiarum domorum peculiaris excitant; quae evidenti veritatis studio hac in imagine imitando efficta sunt.

Hoc in fastigio artis artifex sequenti quoque pictura, quae pag. 41 parabolam vineti reddit, perseverat (v. fig. 35). Nam hic quoque optime ei contigit iratum patrem familias rursum prorsum cursantem et rationem reposcentem atque agricolas rationem reddendam evitare studentes, cum intentissime opus tantum se curare simulant, fingere. Nullius momenti est imago Samaritanae ad fontem pag. 84 v. Ab utraque putealis parte constiterunt Christus loquens et mulier situlam trochlea moliens. In pictura extrema porta urbis specie castelli apparet, post quam turris conspicitur non fastigata et compluribus tabulatis ultra marginem imaginis progrediens, qua Spalatensem turrem campanariam in memoriam reduci negari nequit.

Simili modo caeci sanatio pag. 55 v merum fit colloquium. Iesus enim conspergit oculos caeci baculo innixi compluribus apostolis tabulam explentibus, ex quibus Petrus solus more tradito caerulea tunica fulvoque pallio amictus et claves geminas manu tenens apparet, isque tota figura.

In iuvenis Naimensis revocatione ad vitam depingenda pag. 57, quae quidem item ante portam oppidi geritur, artifex ex difficultate Dominum eiusque comites, gerulos cum feretro matremque genu nixam in exiguo spatio constituendi hac tantum ratione se novit expedire, ut personas incommode alias super alias coacervatas varia magnitudine effingat.

Lazari revocatio a morte pag. 58 item a typo tradito recedit, hic vero gravi inscitia. Ante sarcophagum lapideum, cuius cooperculum loco suo motum est, Christus stat benedicens; Lazarus autem in eo iacet, ineptissime quasi pendens delineatus, atque in extrema pictura ambae sorores securae et unus ex apostolis.

Pag. 61 v videmus Ionam versantem ante regem Ninives, qui ad dextram partem cistae altae pulvinis tectae sedet. Propheta viridi tunica, violaceo amiculo, pileo compluries in se ipsum implicito vestitus, quem pileum habitus in Italia usitatissimi proprium fuisse ex clipeis Pisanelli triginta fere annis posterioribus didicimus, vehementi sermone cum rege colloquitur verba sua expressis gestibus dextrae sublatae comitans. Ad optimam imaginis partem pertinent quinque adulescentes aulici, qui in extrema pictura sunt, quod artificem, cum eorum astrictas bracas, compressas et breves tunicas zonis circum coxam coniectis cinctas, cucullos variorum colorum depingeret, certe hominum elegantium habitum sua aetate cotidianum imitari voluisse statuendum est.

Optimis compositionibus autem adnumeranda est pictura Danielis in lacu leonum pag. 63 v. Belle enim depicti sunt propheta qui in lacu cingulo tantum tenus cerni potest quocum radio superne collustrato quattuor leones eum lambentes bene dispositi sunt, nec non Darius rex coronam in lilia exeuntem gestans, qui cum comitatu accedit admiransque asseclis quae in lacu geruntur demonstrat.

Parum vero processit pictura lavationis pedum pag. 83. Omnes apostoli stant; Petrus dextrum pedem nudatum in vas calicis forma factum imponit, ad quod Dominus se demittit.

Depingendae resurrectioni pag. 99 v et Magdalenae ad sepulcrum pag. 103 tam pusillae areae relictae erant, ut pictor quasi compendium tantum solitarum compositionum praebere posset, sicut Dominum cum vexillo victoriae iuxtaque turbam custodum, qui capitibus tantummodo significati sunt, ita Magdalenam ad sarcophagum genibus nixam, sub quo semifigura angeli apparet.

In caelum ascensionis pictura pag. 109 plane rationi traditae respondet. Superior Dominus in clipeo, qui a sex angelis, quorum pectora tantum conspiciuntur, portatur, inferior Virgo orans inter apostolos.

Artifici manu imago missae pag. 136 composita est. A dextra est mensa sub rubenti ciborio. In mensa, quae tegumento rubro et flavo colore virgato insuperque albo panno, cui ruber et viridis colores intexti



Fig. 39.

sunt, cooperta est, calix, patena, missale posita sunt. A sinistra sacerdos summo ornatu orans constitit, prope quem genibus nititur puer ministrans albo vestimento amictus.

Quod vero iconographiae respectum ducas, notatu dignissima est imago pag. 112 ad pentecosten pertinens; in qua depingitur S. Trinitas (v. fig. 38), cuius analogiam invenimus nullam neque in Italica neque in ultramontana arte. Pater deus et filius deus quorum ille volumen, hic codicem gerit, uterque flavo capillo et iuvenilis, licet patri lanugo sit, columnam manibus comprehenderunt, cuius in lato abaco S. Spiritus forma columbae indutus sedet. Nubes radios in hanc deorum turbam effundit, id quod opinione falsa accidit. Nam radii, qui desuper veniunt, cum usque quaque descensionem divinae gratiae symbolice significare soleant, hic ineptissimo modo ad largitores ipsos procumbunt. Sed quaeritur, unde illa mirabiliter perfecta architectonica columna substructa tertiae divinae personae desumpta sit. Neque magno negotio respondere potest, qui umquam Venetiis versatus et in finibus quondam S. Marci profectus est. Ubicumque enim S. Marcus dominabatur, animal, quod ei addi solebat, leonem dico, vel potius secundum publicam Venetianorum cognitionem S. Marcus ipse in persona leonis in alta columna ponebatur, quae ex exemplari in foro Venetiano, quod vulgo Piazetta vocatur, constituto maiore minoreve imitatione expressa est. Quo conspectu assuetus artifex hoc loco columbam in simili columna statuit, cuius capituli conformationi Venetiana columna exemplo fuit.

Simulacrum pag. 139 v Italum typum usitatum reddit. Crucifixus enim est inter Mariam et Ioannem, quorum illa oculos attolens brachia super pectas decussata, hic genam in dextram habet abditam. Quae vero in pictura recedunt, ut alibi ita hic quoque murum cum pinnis exhibent.

Oblatio in templo pag. 155, quo ante templi altare Virgo Iosepho comitante infantem fert, quem in Simeonis vaticinantis brachiis ponit prophetide Anna adstante, aliquid architecturae extremae imaginis praebet proprium. Aedificium regale, quod sinistra parte conspicitur, supra ambas maximas fenestras

intestinum opus arcus in acutum desinentis continet, cuius forma pervagata Venetiana est tergi asinini.

Parva pictura Virginis nativitatis pag. 179 v nihil aliud est nisi inscita imitatio earum personarum, quae ex typica depictione nativitatis Christi huc poterant transferri. Sat notabile est et singulare, quod artifex a vinculis exemplaris sui se liberare ita non potuit, ut Virginis cunas ut praesepe depingeret stramentoque compleret.

In Beatae Virginis assumptionis pictura pag. 176 (v. fig. 37) rem videmus insignem, quae narrationem euangelii excedit. Sancta Virgo in arcu caelisti sedens intra clipeum ab angelis, quorum capita tantum oculis cernuntur, circumvolatum apostolo iuvenili Thomae infra genibus nixo cingulum suum deicit, ut semper dubitanti de sua in caelum ascensione re vera effecta persuadeat. Imago ipsa vero, ut ex nostro imitamento cognoscas, paulo corruptior est. Quod cinguli munus licet graeca ars inferioris aetatis fortasse iam ut in aliis rebus ita etiam hic Itala adiutrice ducta receperit, tamen tenendum est rem esse prorsus Tuscam, cum in aede cathedrali Prati cingulum ut summae reliquiae adservetur, in Tuscia excultam et saeculis decimo quarto quintoque iterum ac saepius pictam.

Pag. 211 iterum invenitur imago SS. Trinitatis, sed hic secundum aliud schema (v. fig. 40). Depictio autem quam praebemus remittit nobis necessitatem describendi. SS. Trinitas triceps vel ut etiam appelles trifrons Graecae, Italae, ultramontanae arti communis concilio demum Tridentino in usu ecclesiae occidentalis esse vetita est, cum in Graeca ecclesia porro valeret, sicut in Serbicis et Bulgaricis manuscriptis inferioris aetatis reperiri potest atque etiam, id quod V. D. Roberto de Schneider mecum communicanti debeo, in Dalmatiae ipsius monasterio Archangelo ad Kistanje sito proximis saeculis sculpta repetebatur. Quae Trinitas triceps, quamquam in basilicis Francogalliae meridianae haud rara fuit inventu, tamen imprimis Florentiae erat accepta amabilisque, ubi non solum saeculis decimo quarto et quinto frequens fingebatur et sculpebatur, sed posterioribus etiam temporibus a fratre Bartollomeo, ab Andrea del Sarto, a Bronzino repetebatur, postquam

iam ante Florentinus Dante ex exemplo huius trinitatis tricipitem principem locorum infernorum excogitavit, qui ab artificibus saeculi decimi quarti frequentissime secundum hanc descriptionem in parietibus depictus est.

Depictio Ioannis baptismatis pag. 232 summa est simplicitate. Viri mulieresque nudos infantes adferunt, super quos Ioannes pellibus amictus ex cornu aquam baptismi effundit.

Pag. 241 v ad sequentiam „dies irae“ apparet mundi redemptor rediens die iudicii; rubro amiculo sine tunica vestitus in nube sedens sublatis manibus sua quinque vulnera cruore stillantia ostendit; iuxta eum instrumenta passionis dominicae inter caelum terramque suspensa pendent.

Cum aequabilitate quadam tractatae sunt picturae euangelistarum, prophetarum, sanctorum. Euangelistae vero et prophetae, quorum plerumque sunt semiimagines, modo barbati modo imberbes depinguntur, ita quidem ut certis signis raro tantum sint notati. Viri antiqui testamenti tegumentum capitis et panchartas gestant, euangelistae capite aperto sunt librosque manibus tenent, sed ceteroquin idem rubrum pallium gerunt. De propria autem singulorum descriptione artifex ita non cogitavit, ut exempli gratia Lucam alias imberbem adolescentem alias virum, cuius barba in labro et mento intonsa est, faceret. Cum vero Paulus semper senex cum gladio (v. fig. 4) et Ioannes euangelista ubique iuvenilis (v. fig. 41) depicti sint, in propatulo est artificem certum typum servare conatum esse. Nec non sanctis depictis paulum tantum varietatis datur; stant enim quieti immotique aut sacerdotali ornatu induti aut, praesertim cum non sunt apostoli, habitu propius accedente ad similitudinem vestitus illorum temporum, quibus pictor ipse vixit; in universum autem raro certis insignibus distincti sunt, ut Helena pag. 160 coronam crucemque gerit, Petrus pag. 167 claves, Bartholomaeus pag. 177 cultrum, ibidemque ad pedes Ludovici episcopi corona repudiata iacet, sancti medici Cosmas et Damianus instructi sunt pyxide medicinali, pag. 184 v Hieronymus protypo basilicae, Catharina pag. 190 parva rota, ceterum vero palmae vel libri pro

notis adhibentur. Denique nonnulli sanctorum habitu suo insigniti sunt, ut Laurentius pag. 174 dalmatica, Iacobus maior pag. 72 baculo et capitis tegimine, quo in loca sacra migrantes uti consueverunt, pag. 184 v Franciscus habitu religionis suae nec non S. Clara, quamquam eius pallium inepte ornatum est. Accuratius vero notati sunt S. Magdalena pag. 171, quae tota flavis crinibus cincta manu vas unguentarium tenet, et archangelus Michaelis, qui alatus et habitu astricto equitum illius aetatis hasta draconem sub pedibus suis necat pag. 162 et 181. Eo magis autem mirandum est, si eidem re vera figurae in fine codicis atque ei maiore dimensione iterum occurrimus (v. fig. 39), sed hoc loco non alatae; atque cum neque quicquam adscriptum sit neque ulla relatio ad textum fiat, diiudicari nequit, utrum pictor hoc loco alas addere oblitus sit an eundem typum S. Georgio depingendo adhibere voluerit.

Restat, ut fastorum picturas diligentius contemplemur. Mense Ianuario pag. 14, ut ex nostra depictione cognoscis (v. fig. 7), duas feminas et virum mensae adsidentes videmus. Vir magnum cruceque ornatum panem incidit feminis iam manus ad frusta porrigentibus. Qua re mos omnibus gentibus Slavicis familiaris a die natali Iesu Christi usque ad epiphania panem cruce et bracteolis ornatum in mensa reservandi illustratur. Cum igitur artifex hoc loco consulto et cogitate vernaculum morem depingat, ceterorum mensium imagines profecto cum Italico typo congruunt, nisi quod picturas interdum huc illuc translatas deprehendis.



Fig. 40.

Februarii imago pag. 143 v vinitorem habet pictum vitem circumfodientem, quae depictio in Italia plerumque, ut in St. Martino Luccae, in baptisterio Pisae, in aede cathedrali Mutinensi aliisque locis, mensi Martio adiecta invenitur, qui hoc in codice pag. 144 ineptissima ratione homine designatur, qui veste pellicia indutus manus pedesque igni admoto refovet. Haec vero est vetus Ianuarii imago, cui, ut in basilica cathedrali Mutinensi Februarii loco posita est, ita hic

certe falsa opinione is locus adsignatus est.

Singularis prorsus est depictio Aprilis pag. 144, quam ex nostro imitamento potes intellegere (v. fig. 8). Cum in Italia usque quaque adolescens cum floribus appareat, hoc loco matrona nobilis in rosario sedet pannum decerptis floribus completum ambabus manibus tenens. Quae compositio si ab artifici pictore generis Jocti magistri ampliore pictura perfecta esset, opus illius saeculi esset certe dignum, quod respectemus.

Cum vero res humanae saecularesque in Italica arte illorum temporum rarissime deprehendantur, ceteroram etiam mensium picturae licet iconographia respecta ab usitato typo non recedant, certe aptae sunt ad adliciendos spectantium animos. Paulo enim melius quam est in rebus ad historiam pertinentibus hic pictoris consideratio contemplatioque naturae et magna exercitatio fit obviam. Mensis Maius pag. 145 exhibet quasi adulescentem equitem falconum ope venantem (v. fig. 9), Iunius pag. 145 v messorem, Iulius pag. 146 hominem spicas flagello excutientem, Augustus pag. 146 v cuparium cupas praeparantem, September pag. 147 torcular, October pag. 147 v transfusionem vini in doliola (v. fig. 10), November pag. 148 suarium, December pag. 148 iugulationem porci. Sed id ignoramus, cur ex omnibus picturis huius codicis imagines Augusti et Septembris solae igneo fundo utantur.

Postremo ad imaginem Hervoiae ipsius transeamus pertractandam (v. fig. 18). Auctor codicis vel is vir nobilis, cui aliquod opus dedicabatur, a superioribus aetatis mediae temporibus semper sedens depictus est aut solus aut cum comitibus, inter quos plerumque ei librarius librum offerens adiunctus est. Hic vero illum omnibus armis ornatum vectumque equo concitato videmus. Quo vero tempore hic codex coloribus exornatus est, pictae statuae equestres in Italia usu receptae erant. Atque postquam senatus urbis Sienae ducem aliquem equo vehentem in curia a Simeone Martini depingi iussit, hic mos usitatior esse coepit pauloque post senatus Florentinus id genus equitum tabellas in aede cathedrali ipsa collocavit. Quarum rerum notitia in causa fuisse vide-

tur, cur equestris imago eligeretur. Qua in conficienda pictor exempla sigillorum equestrium, quae adipisci poterat, secutus est. Pro domini feudi sigillo eques equo admisso vehens primo in Francogallia ex saeculo duodecimo moris erat, saeculo decimo quarto autem iam passim per mediam Europam diffusa vel ad Slavicum meridiem permanaverat. Sigilla enim Tortconis, bani Bosniae, in diplomate Kal. Iuniis 1367 emisso, Stephani Ostoje, regis Serbiae, in diplom. 5. Iulii 1399, Stephani, regis Bosniae, in diplom. 24. Decembris 1419, quae omnia in imperiali archivo Vindobonensi sunt adservata, hos dominos praebent concitato equo vectos cum insignibus gentiliciis distinctis, decorata hasta et scuto insigni ornato. Eiusmodi igitur sigilla artifici erant exemplo; nisi quod mirum in modum equitis dextrum latus depinxit, cum in sigillis sinistrum semper latus appareat.

Ut autem denuo singula puncta breviter astringamus, ex quibus aliquid de artificis origine possit enucleari, primum constat eum sermonis indigenae peritum non fuisse, deinde Italam artem magnum momentum ad eius imagines habuisse. S. Spiritus in columna depictus (v. fig. 38), arcus forma tergi asinini in tabula nuptiarum Canaensium (v. fig. 34) et oblationis in templo certe Venetianam produnt vim; si vero consideramus artificem, cuius commoratio Spalatensis brevis fuisse putanda non est, iis rebus, quae ibi circum eum erant, incitatum turrem eius oppidi imitando effinxisse et Slavici populi morem illustrasse, singulae illae res Venetianae facile possunt explicari neque opus est Venetianam artificis originem accipere.

Tota Dalmatia plena erat Venetianae architecturae et artifex quidam alicubi institutus, si diutius ibi commorabat, facile facultatem adsequi potuit singulas Venetianas formas effingendi idque eo maiore studio, quo alieniores esse ei videbantur.

Id autem minus nobis premendum esse videtur singula iconographica, ut trinitatem tricipitem (v. fig. 40) et Madonnae donum cinguli (v. fig. 37), ad res Florentiae gratas usitatasque pertinere; sed momentum facit ideoque praedicanda est illa mera ratio Tusca, quae adhibita est in figuris depictis. Nam illa Ioannis tota figura (v. fig. 41) ita se

16

habet, quasi ex tabula Florentina esset exsecta, id quod de multis aliisque figuris potest adfirmari. Ea enim est ars, quae Florentiae ducibus Spinello Aretino et Starnina exeunte saeculo ultimum quasi impetum sumpsit, priusquam nova ratione saeculi decimi quinti loco suo demoveretur. Ut autem ille Starnina ita hic de quo disputamus artifex multo demissior patriam Tuscam reliquisse videtur.

Quodsi meminimus illis circiter temporibus Filippum Florentinum, qui Pippo Spano vulgo dicebatur, in Alba Reale sacellum sepulcrale suum aedificasse, quod ab haud paucis artificibus Tuscis ornandum curaverat, inter quos Tomas Christophori Fini pictor Florentinus vulgo dictus Masolino clarissimus fuit, deinde si reputamus, quam diu crassus lignarius Manettus Iacobi filius, protagonista quasi Italicarum fabellarum architectus sculptorque summa floruerit auctoritate in Hungaria, quo Florentia anno 1409 venerat, miros nos non debet habere, quod etiam Spalato in urbe Tusco pictori occurrimus, qui in barbara terra librum simpliciter exornabat iis artis suae regulis usus, quas domi perdidicerat.

Ut enim olim apostoli ad paganos, ita Tusci artifices per mare atque terram migrarunt, qui nuntii novae illius artis Italorum populi, quae a Jocto Bondonis condita erat, euangelium ut ita dicam veritatis et pulchritudinis praedicabant atque divulgabant.



Fig. 41.

CONSPECTUS IMAGINUM.

INDEX.

Tabulas facsimilia scripturae typis coloratis proferentes Vindobonenses
C. Angerer et Gœschl
fecerunt.

Vindobonae — Typis Adolphi Holzhausen
c. ac r. aulae et universitatis typographi.